Q. D. B. V.

VALETUDINARII SENILIS

Lineas Speciales,

Juſſu Gratioſæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE,

VIRO EXCELLENTISSIMO,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Phil. & Med. D. ac P. P. Celeberrimo, Conſiliario & Archiatro Wü:tembergico Splendidiſſi no, Facult. h. t. DECANO Spectatiſſimo, Patrono ac P:æceptore ſuo ſanct:ſſime colendo,

Pro impetrandis in Medicina honoribus Doctoralibus Erudito examini ſubjicit

Ad d. Jun. Ao. M. DC. LXXXIV. h. lq;. c.

M. THEODORUS CAROLUS, Tubing.

TUBINGÆ,

Literis KERNERIANIS.

VIRIS

NOBILITATE CONSILIIS EXPERIENTIA
PERINCLYTIS

DN. JOH. JACOBO BAURIO,
JCto. CELEBRATISSIMO, CONSILIARIO
IN SUPERIORI WIRTEMBERGIÆ CURIA SPLENDIDISSIMO

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO PHIL. ET MED. D. ATQUE
PROFESSORI FAMIGERATISSIMO, FACULTATIS SUÆ HODIE DECANO SPECTATISSIMO SERENISSIMÆ DOMUS WIRTEMBERGICÆ CONSILIARIO ET ARCHIATRO GRAVISSIMO

DN. JOH. GEORGIO GMELINO, MEDICINÆ DOCTORI CELEBERRIMO, SERENISSIMI WIRTEMBERGIÆ DUCIS CONSILIARIO ATQUE ARCHIATRO FELICISSIMO

SINGULIS

IN PATRIÆ GLORIAM CIVIUMque SALUTEM NATIS
PATRONIS ET BENEFACTORIBUS SUIS MAXIMIS
ERECTO HOC GRATITUDINIS DEVOTÆ MONUMENTO

SUCCESSUS MERITIS DIGNOS
VIRES VOTIS MAJORES
SENECTAM JUVENTUTIS ROBUR EXÆQUANTEM
DEVOTE APPRECATUR

SEQUE ULTERIORI EORUM PATROCINIO
ENIXE COMMENDAT

BENEFICIORUM MULTITUDINE
OBLIGATISSIMUS

M. THEODORUS CAROLUS.

Caput II.

Cauſas Morborum Senilium in Specie expendit.

I.

AD ſpecialiora jam provehendum, *Morborumque Senilium* ſpecialium potiſſimorum *Rationes Speciales* reddendæ, quæ ex Generalioribus in *Priori Diſſertatione* Academica breviſſimè detectis, haud difficulter fluent; Reſtrictæ autem iſtæ fuerunt, *Vel* ad calidi defectum, enervationem, ſpirituum languorem, effœtam vappidam deſciſcentiam, ſanguinis expanſionem, rarefactionem, aëraſcentiam minùs laudabilem, minùs ſufficientem; *Vel* nimiam Mæ. Sæ. roſcidis, balſamicisque particulis debitis deſtitutæ viſciditatem, glutinoſitatem; *Vel* abundantes in ſanguine particulas ſylveſtres, ſalſas, acidas, rigidas; *Vel* pororum fibrarumque, ut aperiantur, dilatentur, ſpiritus recipiant, moveantur, inflentur, ineptitudinem, quia exuccæ partes ſunt; *Vel* ſeri modò ſimplicis, modò variè tincti copiam. Quo E. modo à cauſarum harum *una* vel *pluribus* combinatis, *alterutra* vel pluribus præ dominantibus *particulariter* applicitis, cujuslibet *Affectus Senilis Rationes* deduci queant, exponere conabor.

II.

Omnes, & ſpirituoſæ & humoroſæ & ſolidæ ad *Viſum* deſideratæ partes, ſuam ſub vario languoris, vappeſcentiæ, dejectionis, incraſſationis, corruptionis titulo labem circumferre aptæ ſunt in Senibus, unde frequentia *Viſus vitia.* De IMBECILLITATE VISVS tantùm non omnes conqueruntur; ex imminuta enim ſanguinis ſpirituaſcentia Animalium ſicque viſoriorum ſpirituum penuria ſequitur, visûsque acies perit, accedente præſ. jugi eorum per animi corporisque motus variasque excretiones imminutione. Alii ejusdem ſanguinis ac lymphæ defectus conſiſtentiam, puritatem, colorem & ſitum humorum immutare ſolent. Aliquando organorum, præſ. nervorum opticorum ſiccitas, aliqualis marcor in cauſa eſt, ut licet ſubinde ſatis copioſi adſint ſpiritus, communicari, advehi oculis nequeant. vid. *Barthol. c. 4. Ep. 41.* imò aliquando nervorum iſtorum obſtructio peccat. v. *Verulam. S. S. c. 7. §. 693.* aliquando rugæ Tunicæ Corneæ, aquei humoris defectui debitæ, adſunt, teſte *N. Piſone de morb. cogn. & cur. l. 1. c. 35.* aliquando nimia ejus humectatio, craſſities, aliudve vitium ſpecies viſibiles itidem

 obſcu-

obſcurat, & tenebroſas reddit, quæ p. n[ia]. cæteris etiam membranis nonnunquam accidunt. Spectat hûc maximè illud vitium, quod ſpecialiſſime SENUM VISIONEM vocat *Sylv. pr. l, 2. c. 7.* quo vicina oculis objecta minùs commodè aſſequuntur, quam remotiora, hincque in lectione, aut aliarum rerum contemplatione oculos ab objectis abducere coguntur, vel quod oculorum humores (forte etiam tunicæ) ob ſui exiccationem, ob humoris aquei defectum opaciores ſint, ut *Sylvius*, vel quod ſpiritus viſivi non niſi objecto ad debitam juſtamque diſtantiam remoto uniantur, ut *Verulamius l. c. C. 9. §, 870.* vel quod proceſſus ciliares exiccentur, abbrevientur, hincque lentem cryſtallinam tendant, ut ad remotiora aptior, ineptior ad propinquiora fiat, ut *I. Otto Diſſ. Inaug. de propr. oc. defect, §. 24.* vel quod circumferentia oculi ob extenuationem mutata ſit, ut *Borellus C. 4. O. 23.* ſuſpicatur. vid. de hâc Senum viſione *Dom. Comiers in Zod. Med. Gall, Ob. 3. Mens. Octob. §. 9.* it. *Highmor. disq. corp. hum. p. 236.* Sngularem viſûs imbecillitatem in Monacho ſexagenario ex raſione barbæ vid. ap. *Barthol. c. 3. Ep. 67.* Quod ſi lympha craſſa, ſegnis, lutoſa viſcida tenax in toto abundans ad oculos etiam deferatur, ibi concreſcat, pupillæque regioni ſe opponat, aut etiam ipſe Cryſtallinus humor tenacior evadat (*v. Camerar. Memorab. c. 11. §. 46.*) SUFFUSIO tenebras oculis obducens præ foribus eſt. Peccare in ea aliquando humorem aqueum, vel ſola, quæ acu Chirurgica perficitur Curatio, probare, videtur: In Cryſtallino autem humore aliquando, imò ſæpius hærere culpam, non unâ experientiâ certior factus eſt *Rolfincc. Diſſ. Anat. p. 179.* Omnem imò Cataractam intra foramen uveæ, ſpatiumq; quod inter uveam & anteriorem Cryſtallini partem intercedit, nidulari cenſent *Quidam.* Sc. illud, ſ. d. omne cudere malum hoc poteſt, quod tranſitum ſpecierum viſibilium intercipit, ſive in aqueo tantum humore ante uveæ feneſtram fluctuet, ſive retro hanc in dicto interſtitio, ſive in ipſo cryſtallino humore, quem etiam *Hannemann. in Act. Haf. V. 5. O. 6.* pro foco agnoſcit, hæreat, ſpecierumque in Retina delineationem quocunque modo impediat. Utque de poſſibilitate exiccationis, lentis cryſtallinæ in Senili præſ. Maraſmo nullum eſt dubium, ita cum ſanguine lege Circuli facilè craſſiores humores ad oculos transmittuntur, ubi diſſipatis ſenſim ſenſimque quæ nuptæ adhuc iis erant particulis tenuioribus majorem viſciditatem, tenacitatem, ac ad concretionem aptitudinem contrahunt, aliquando etiam pelliculam, teſte *Hertod. Crocolog. p. 98.* efformant, viſuique ita officiunt. Raro tamen

men uterque oculus ſimul, aut ſi ſimul, raro eodem gradu in vera ſuffuſione afficitur. v. *River. prax. l. 2. c. 4.* Quia verò viſcidus talis humor in Senibus infra ſpatium illud, quod eſt inter egreſſum nervorum opticorum ex thalamis opticis, illorumque in oculos inſertionem haud raro effunditur, nullo forinſecus in oculis comparente vitio, ſecus ac in ſuffuſione fit, denegato ſpirituum Animalium libero motu totalis CÆCITAS, GUTTA SERENA oritur. v, *Cl. Wepf. de Cicut. aq. p. 127.*

III.

Quod ſi ſpiritus Animales transmitti ad aures nequeant, vel ipſos ſpiritus inſignis languor, penuria, dyscraſia, ſtupor, torpor, immobilitas corripiat, de *Auditu* fere *actum eſt*; Multum hûc confert nervorum auditoriorum obſtructio. Ex Catarrho nervos auditorios ſubito obruente ſubitaneam in ſexagenario quodam SURDITATEM vidit *Barthol. c. 4. Ep. 40.* Illa, quæ Affectus Soporoſos, Apoplexiam vel comitatur, vel præcedit, vel inſequitur, defectui, torpori ſpirituum debetur. Nimia Tympani humectatio, relaxatio in Catarrhoſis, excedens ſiccitas in Maraſmo tentatis, idem infortunium affert; læditur enim iſtis modis præter tenuitatem & moderatam ſiccitatem ſubeunti Aëri neceſſariam firma tympani tenſio & expanſio, maximæ, obſervante *Williſio de An. Brut. c. 14.* dignitatis, qua remittente, extingui ſonum & ſupprimi neceſſe eſt. Duplicitas tamen organi Auditorii quibusdam auxilio eſt ne omni Auditûs beneficio priventur; ſæpius enim alterutra tantum auris, altera vel in totum vel in tantum ſalva, dictis vitiis obſidetur, pro quorum intenſiore vel remiſſiore gradu vel totalis ſurditas, vel tantum AUDITUS DIFFICULTAS, ita ut vehementiores fortioresque ſoni faciliùs, difficiliùs minores percipiantur, oritur. Quod ſi ipſius aëris auribus implantati inquinatio ſurdaſtros facit, ut ex *Menjotio in Comp. Med. pr.* tradit *Schmitz. p. 436.* ex hoc quoque vitio laborare Senes poſſe, facile perſpicitur. Præter dicta autem internus ſubinde, isque varius, omnibus licet foris tacentibus, aures ita deludit ſonus, ut externorum fida exceptio vix ac ne vix quidem impetrari poſſit. Ipſe autem Senum TINNITUS ut violentiorem aëris in auribus concluſi commotionem, ſicque tranquillitatis ejus turbationem præſupponit, ita eam ſegnior ſanguinis Senilis, ſpiritibus depauperati motus producit, dum in exilibus, quæ tranare cogitur hîc locorum vaſculis ad vicinas, oſſeas præſ. partes q[?], allidit, aërem concluſum ſimul commovet, ſicque ſibilum iſtum

ab extra adventantis ſoni exceptionem, impedientem, excitat. Calor, fervor, ſpirituoſitas nimia ſanguinis malum hoc aliquando cudit, ſuffragante curatione per V. S, & ſimilia, verum in vegetioribus magis & fervidioribus ſubjectis, quam dejectis Senum corporibus, quorum ſanguis defervefcere, talesque diuturnos præſ. & continuos motus orgaſticos rariſſimè concipere ſolet; quin ob univerſale fere totius frigus nervos etiam auditorios nativo ſuo calore deſtitui, debilitatos qs. tremere, aërem unà ſecum commovere, ſicque ſibilos hos excitare probabile credo.

IV.

Frequens Senibus eſt malum APHONIA, affectus inter Apoplexiam & Epilepſiam medius, aut ex utraque leviori mixtus, quo correpti ſubitò dejiciuntur absque voce, ſenſibus modo magis, modò minus deſtituti, motu aliquando manente integro, aliquando magis vel minus læſo, abolito, depravato. Accidit ejusmodi malum, ut externas, fortuitas, violentasque aut alias cauſas rariores, ut ſunt ſuctio vulneris venenati, aſpectus cancrorum, terror, vulnus ſclopeti in occipite, vulnus pectoris, variolæ, ebrietas, ſuppreſſio urinæ, vapor ☿rii, aliæque hinc inde obſervatæ, prætercam, vel nervorum, vel ſpirituum An. vitio; iſto modo, iu quantum nervi non recurrentes tantum muſculorum annulorumque Laryngis motui dicati, ſed & alii à pari vago ad muſculos pectoris & intercoſtales amandati, vel ab extra vitioſo quodam humore ex communi ſententia obſidentur, vel ab intra à muci iſtius naturalis, nervos ordinarie oblinentis lentore atq; viſciditate obſtruuntur, hinc enim denegato ſpirituum An. acceſſu, nec expiratio debitè procedere, nec quæ hanc excipere debet rimulæ Laryngis conſtrictio, aëris ad rimulam adigendi colliſio, vocisque vel ad minimum ſoni efformatio perfici poteſt: Illâ autem nervorum ut aliorum quòque ductum obſtructione, in ætate Senili, lentoris viſciditatisque feraciſſima, quid facilius? quid frequentius? Hoc autem modo, quod præter obſtructionem, exiguam eorum ob cauſarum tam materialium quàm efficientium errores, quantitatem, activitatem etiam jam ante minorem vis quædam congelans, ſiſiens, figens qs. inſuper accedat, qua ligati, præſentes licet, in activitate, motu impediuntur. Impeditam ſanguinis Circulationem in jus vocat *Rolfinc. l. 2. Conſ. 15.* quam cum jam ante laborioſiorem experiantur Senes eo promptius ex hocce vitio, inevitabilem ſpirituum An. deſciſcentiam poſt ſe trahente, laborabunt; Aphoniam talem haud rarò inſequitur APOPLEXIA, affectus ſi quis alius truculen-

lentus & abominabilis, quia ſubitò trunci inſtar proſternit, ſenſum, motum ac vocem aufert; invadere alias quoque ſubinde ætates, rarum non eſt, teſtibus obſervationibus (ut & puellæ variolis laboranti eam ſuperveniſſe notaverit *Wepferus Ex. de Apopl. p. 239.*) ubi tamen variæ cauſæ accuſantur, quales ſunt ira, vomitus, ebrietas, polypus cordis, tumor Cranii, lapſus à tecto, pinguedo in ſiniſtro cordis ventriculo genita, eſus fungorum, ♀. ſpiritus vini & quæ ſunt alia cuicunque ætati communia. Interea malum hoc non ſtupor tantum & torpor, monente *Rolfinccio*, tinnitus aurium teſte *Wedelio Aman. M. M. p. 137.* convulſio ſubinde, authore *Bartholino c. 2. H. 71.* ſed & Epilepſia aliquando præſ. in Senibus, teſte *Paracelſo oper. P. 5. p. 278.* ſolet præcedere, in quam etiam terminari Apoplexiam iſtâ tamen in hanc rurſus mutata, vidit *Foreſt. l. 10. O. 80.* ut metaſtaſi in crus ſiniſtrum facta eandem in Sene ſolutam vidit *Borrich. in Act. Hafn. V. 3. O. 49.* qualem ſolutionem etiam per Hæmorrhagiam uterinam in ſeptuagenaria habent *Eph. Germ. A, 9. & 10. O. 166.* Cauſa Apoplexiæ in Senibus eſt vel ſubita ſpirituum An. influxus prohibitio, vel eorundem craſis ac textura ſubitò mutata, dejecta, ligata, in torporem acta; vel, quod mihi videtur, hæc utraque. Conferunt hûc ſuum Symbolum non rarò ſanguis ac lympha. Iſto enim Sole Microcoſmico niſi illuſtretur mentis regia, tenebræ qs. quædam animæ offunduntur, præ quibus nihil laude dignum ſuſcipere valet; ceſſat verò iſta irradiatio, quoties liber ſanguinis commeatus inhibetur, quod quam facile in Senibus ſub iſto virtutis impellentis languore, ſanguinisque lentore ad ſtagnationem proniſſimo contingere queat, quis neſcit: ex iſta autem ſtagnatione & cerebrum & ſenſuum motusque organa ſpe ſua defraudari ſatis perſpicitur. Materia ſpirituum An. ſi denegatur debita, quid ſperandum, facile conjicitur. An iſta Arteriarum Carotidum & vertebralium obſtructio merito ſuo ita ſuſpecta, imò impoſſibilis ſit habenda, ut *Williſio de An, Brut. p. 217.* & *Sylvio pr. l, 2. c. 21.* videtur, accedente præſ. ſpirituum torpore, aut non debitè explicari poſſit, dubito. Quodſi ſeroſi ac pituitoſi humores ſupra ſpinalis medullæ principium ejusque caudices communi cum omnibus cerebri partibus imbecillitate atque laxitate, ob calidi naturalis languorem laborantes colligantur, viaque tranſituris ſpiritibus An. intercipiatur, idem malum fieri autopſia docuit *Rolfinc. Diſſ. An. l. 1. c. 13.* quod in grandæva ſputante antea etiam contigiſſe obſervavit *Barthol. c. 4. Ep. 41.* nec refragatur Cel. *Wepferus l. c. à p. 246. ad p. 262.*

M. 28.

ir.283. His tamen frequentior cauſa ſpirituum An. penuria, Senes quam maximè premens, cui ſi dyſcraſia illa Senilis, vappeſcentia qs. degeneratio, torpor, fixatio demum, coagulatio, ligatio accedat, excluſioni hujus mali nil amplius deeſt. *Greulichius* â cauſâ narcotica maximè particulis bilis ſulphureis figi ſpiritus An. & Apoplexiam produci contendit, *Diß. de Bile p.55.* Ex â malo hoc horribili ſi non ſuffocantur, rarò ita liberantur affecti, ut non mutata prioris morbi facie aliquid *Paralytici* patiantur, quo tamen etiam affectu ſæpius tanquam primario laborant.

V.

Non autem illam hîc intelligo immobilitatem, quæ Colicam inſequitur, non illam, quæ ſcorbuti ſoboles eſt, de quibus conſul. *Willis. Drawiz.* nec illam, quam poſt dyſenteriam obſervavit *Welſch. Dec. 7. Conſ. 2.* it. *Piens de feb. tr. 1. p. 199.* (sabiles licet & curabiles etiam in Senibus teſte *Drawizio de Scorbuto p. 182.*) ſed illam, quam aliquando mentis hebetudo, oblivio, ſtupiditas, potiſſimum autem ubi univerſalis eſt calor aliquis & torpor, notante *Wedel. Opiolog. p. 46.* utpl. formicationis ſenſus præcedit, quamque pulſus debilitas, partis reſolutæ tabes, frigus atque flacciditas, rarius dolor inſequitur. Utque ejusmodi PARALYSIS modò totum corpus, modò alterutrum latus, modò certam tantùm quandam partem, linguam, collum, brachium, palpebras, genam ſiniſtram, pedes, manus, oculos, anum, veſicam, labia, gulam, penem, &c. occupat, ita aliquando motum ſenſumque abolet, (vera tamen Paralyſis eſt, etiamſi ſenſibilitas adſit:) aliquando autem alterutrum horum tantum læditur, de cujus cauſa agit *Willis. l. c. p. 229.* Alia enim ſpirituum eſt textura, quæ ad motum, alia quæ ad ſenſum requiritur, pro varia E. læſione, variè una vel altera deficit actio; illa tamen ſpecies, in qua motu ſalvo ſenſus tantum aboletur, rectius ſtupor, quam Paralyſis dicitur. Remanſio autem ſenſû ablato motu, non de Tactu tantum, ſed & guſtu, ſæpius in Linguæ paralyſi ſuperſtite, ſumenda. Peccant hîc iisdem ſpiritus, quatenus in quantitate deficiunt, à textura ſibi debita deviant, langvent, torpent, & ab ipſis partibus ſuſcipi nequeunt, ob vitia pororum, fibrarum in partibus, nervorum varia, nunc exortum magis, nunc progreſſum, nunc inſertionem reſpicientia, dum particulæ terreſtriores craſſioresq́, ſpongioſa nervorum corpora cum rore frigido ſubeunt, aggeſtæ eadem infarciunt, ſpirituumque irradiationi obſtant; dum ab humoribus ſeroſis nimium madefiunt, ſpiritus ita dividuntur, eorumque continuitas dirimitur, dum ſimiles

humo-

humores nervorum principio incumbunt, tranſitumque ſpirituum inhibent, quam cauſam ex defunctorum Sectione apertam tradit *Barthol. c. 4. Ep. 87.* Exuccus etiam partium marcor hûc facit, & viciſſim ipſarum fibrarum muſculorumque humectationem, relaxationem, ab heterogeneis irrigationem, dictis ſpirituum vitiis junctam, in caſibus præſertim particularibus ſuum quoque mereri locum cenſeo, remittente enim ita tono vigoratio fibrarum motusque membrorum fieri nequit. In remiſſiori gradu una vel altera cauſarum ſi adeſt, Senes difficulter, tardè movent membra, quem affectum valdè frequentem non Paralyſin, ſed movendi Impotentiam ſ. difficultatem vocat Exc. *Dn. Præſes.*

VI.

Quodſi iſti ſpirituum debilitati, languori, accedat inſuper inordinatus aliquis in capite præſ. plus vel minus interceptus etiam motus, VERTIGO modò gyratoria, modò in unum vel alterum latus antrorſum vel dextrorſum inclinationem, procidentiam minans, plerumque pedum, brachiorum debilitatem, impotentiam, collabaſcentiam junctam habens, oritur. Inordinatus hîc eſt ſpirituum motus, ſed non ſolus, verum defectui, imbecillitati, reſolutioni, diſſipationi, obſcurationi, impedito eorundem influxui, junctus. Sub iſta inclinatione ſpirituum verſus certam partem confuſus eſt raptus. Suum hîc etiam ſymbolum conferunt modò ſanguis, modò ſerum, modò flatus. Sanguis enim ſæpius jam depictus dum Cerebri craſſæque meningis arterias ſubire cogitur, facilè in iis ſubſiſtit, reſtagnat, liberam ſpirituum in cerebro expanſionem turbat, ſicque vertiginem producit, compreſſione iſta ſpiritus in orbem agendo, non ſecus ac aqua, aut liquida alia compreſſa circumgyrari videntur, quo ſimili utitur *Verulam. l. c, C, 8. th. 725.* Seroſos, pituitoſos, quibus maxima Senum pars diffluit, humores aliquando in cauſæ eſſe multa perſuadent: Vertiginoſi n. caput poſt mortem aquâ repletum inventum fuiſſe, refert *Barthol. c. 4 Ep. 39.* cauſamq; hanc præter *Piſonem* & *Schenckium* ipſa vertiginis terminatio confirmat, quam ptyaliſmo & aquæ limpidæ per nares extillatione factam fuiſſe teſtatur *Blegny l. c. An. 1. p. 160.* & *Willis, Anat. Cer. c. 12.* cumque ex illa ſeroſi humoris minera teſte *Schenckio Hiſt. S. S. p. 57.* haud rarò copioſi flatus prodeant, eò promptius malo hoc corripiuntur Senes. Flatus enim iſti in cerebro à cranio cerebrique membranis preſsi & reverberati oberrare, circulari incipiunt, miſtique hinc ſpiritibus An. eos in luctam concitant, ſecum qs. abripiunt, & ad ſimilem motum invitant, conf. *High-*

mor. de aff. Hypoch. p. 217. quem ſpirit⁹ iſti non tantum ſenſibus intenti, ſed & muſculorum actionib. præfecti aliquandiu continuant, ut ob eorum in viſûs, tactus, aliisq; organis commotionem confuſivam & vertiginoſam objecta externa, ipſumque cui incumbit ſ. pavimentum ſ. ſedile moveri cenſeat æger: ipſos etiam flatus, circulationem ſanguinis impediendo id. efficere ſuſpicatur *Hoffm. MM. p. 281.* quod ex jejunio etiam Senibus evenire teſtatur *Ettm. de præcip. p. 39.* ſ. d. quod ventriculo vacuo acriores particulæ in nervoſos ventriculi villos irruant, eorum incolas perturbent, & ex compaſſione inordinatum ſpirituum motum provocent, conf. *Willis. l. c. c. 7, p. 200.* ceu & ex bilis in ventriculum effuſione ob eandem cauſam idem aliquando accidere tradit *Wepf. de Cic. aq. p. 108.*

VII.

VIGILIÆ Senibus moleſtiſſimæ ſunt, cum ob coctionum, primæ potiſſimum, languorem deficiant roſcidæ, balſamicæ, blandæ particulæ. ſpiritus An. mitigantes, diluentes, temperantes, ipſos cerebri poros aliquantum opplentes, ſicque à continua ſpiritus excurſione avocantes, ſuffundantur contra heterogeneæ variæ, ſpiritus agitantes, turbantes, iisdem ſeſe copulantes, hinc cum nulla iis concedatur quies, continuo excurrunt, ſicque ſe ipſos abſumunt, ob paucitatem ligari ſe difficulter patiuntur, accedente præſ. curarum, meditationum, quæ vel ſolæ ſufficerent, multitudine, frequentia.

VIII.

Maximarum turbarum cauſa CATARRHI habentur, de quibus quid. *Vet.* ſenſerint, ut cerebrum pro Catarrhorum fonte obtruderent, quidve *Recentiores* exculta magis Glandularum vaſorumque lymphaticorum doctrina in contrarium tradant, prolixè recenſere, hujus loci non eſt; plena enim hiſce ſunt *Schneideri, Rolfinccii, Stenonis, Aliorumque* ſcripta, quæ videri poſſunt. Inter *Recentiores* tamen ſunt, qui Cerebrum non plane abſolvunt, dicentes, id allui eodem, quo aliæ partes, ſanguinis rivo, adeſſe hîc teſte *Stenonio, Glaſero, Aliisque* glandulas, vaſa etiam Lymphatica, *Loſsio Aliisque* viſa, nil ergo obſtare, quo minus & hîc non ex privata tantum coctione hincque expectanda ſordium, ob circumvallantis Cranii craſſitiem minus diſſipabilium, remanſione, glandularum etiam vaſorumq; Lymphaticorum, imò quorumcunque aliorum cerebrum perreptantium errore in Lymphæ expuitione, vel abſorbendæ neglectione colligi ſerum tale Catarrhoſum queat. Utque de materia conſtare putant, ita de viis itidem non deſperandum eſſe cenſent:

ſent: in ſtatu quidem naturali ſordes ex privata coctione reſultantes in glandula pituitaria colligi, collectasq; e à venis hûc pertingentibus reſorberi, docere *Willisium An. Cer. c. 12.* cui illud *Stenonii* experimentum *tr. de muſc. & gland. p. 58.* faveat. His Lymphatica etiam jungi ſolent in hoc officio. In ſtatu p. n. quis cerebro tale concedat privilegium præ aliis partibus, ut ab omni p. n. excrementitii generatione, ſecretione, collectione & excretione ſit liberum? quis vias, ubi venæ revehentes vaſa lymphatica adſunt, in ſtatu p. n. ubi vias aliâs clauſas aperit natura, denegabit, imò pro ſenſibilibus cavitatibus, ac patulis viis experimenta ac rationes adduci ſolent, licet alii negent. (vid. *Pechl. de purg. p. 384. & Glaſer. de Cereb. p. 71. 80. Bohnii Programn. Diemerbrock. Anatom. &c.*) Transſudationem inſimul quis impoſſibilem dicet, cum quotidie ferè obſervetur? Cerebrum E. ſerum copioſum extravaſatum, catarrhorum cauſam ſuppeditat nec nunquam, nec ſemper. Potiſſima tamen culpa glandulis lymphaticisque tribuenda eſſe mihi videtur. Glandulæ enim lymphæ ſecretioni & receptoni dicatæ ubi vel à materiæ copia obruuntur, vel à cauſa quadam occaſionali laceſſuntur, quem retinere fideliter, aut aliò amandare debebant liquorem, in vicinas partes effundunt: Lymphatica etiam lympham vel non reſorbent, vel reſorptam expuunt, quod nimia ejus, quantitate, vel exceſſivis qualitatibus vel perverſo motu diſtendantur, rumpantur, irritentur, exedantur, impetantur. Quin nec venas hîc excluderem nec arterias, cum haud rarò & iſtæ in ſtatu p. n. revehendam ſibi cum ſanguine lympham intactam relinquant, & per hæc ſerum ſuperfluum aliquando ebulliens, non tantum per orificia qs. per *ναυσίαπιν* expuatur, ſed & per ipſas tunicas rariores, non aliter ac ſec. quosdam humor nutrititius exudet, partesque obruat; ſicq; pro eliminati humoris quantitate, qualitate, acrimonia, ſalſedine, tenuitate, viſciditate, partiumque qs. inundatarum conditione, aliis atque aliis Antecedentibus, Comitantibus, conſequentibus ſtipati ſymptomatibus incedunt Catarrhi. Eò frequentius autem Senes tale ſerum, lympham exorbitantem colligunt, quod magis fere ſpotu, quam cibo delectentur, quod ob cauſas ſæpius dictas coctiones debito modo non inſtituant, quod ob calidi penuriam pororumque cutaneorum indiſpoſitionem difficilius tranſpirent. vid. *Gliſſon. de part. continent. c. 4. n. 26.* quibus ex cauſis cumulata in corpore ſeroſitas, hîc ibi exitum quærit, impetumque modò in hanc, modò in aliam partem receptioni aptiorem ſumit.

IX.

Hinc E. oculi eorum EPIPHORA corripiuntur, ſ. Lacrymas fundunt involuntarias, cum rubore, aliquando etiam dolore palpebrarum, pro qualitate & conditione Lymphæ per vaſa lymphatica palpebras perreptantia, glandulasque, canthos oculorum occupantes ſ. copiâ ſuâ exitum urgentis ſ. acribus qualitatibus prorumpentis, [e]xtillantis: Quod ſi ſerum tale ad nares impetum ſumat, CORYZA oritur ſ, Gravedo, cum calore utpl. ſiti, moleſto capitis dolore, narium obſtructione, aſpredine, æſtu, prurigine, exiccatione, olfactûs læſione, ſomno laborioſo, ſternutatione, appetitûs dejectione & ſimilibus, quæ omnia de Mæ. Sæ. laxiori compage, degeneratione, ſerique copia, fuſione, acrimonia ubertim teſtantur, Nonnunq. occaſionalis quædam præcedit cauſa, eliminandarum nempe fuliginum, vel ob frigidi aeris hyberno tempore inclementiam, vel aliam ejus quocunque anni tempore anomaliam, retentio, quam iſta humorum agitatio, fuſio ſequitur. Retentæ enim illæ fuligines vaſorum lymphaticorum ſ. venoſorum ope ſanguini reaffunduntur, hujusque ductum ſequuntur: quamvis autem & hîc abſolvere cerebrum penitus nolint *Quidam Recentiores*, v. *Gliſ. de V. & I. c. 25, §. 46.* & *Sylv. M. M. l. 2. c. 23.* it. *pr. p. 696.* potiſſimum tamen juris ſeri quantitatem, fuſionem & glandulas narium cum lymphaticis ſibi vindicare certum eſt: Imò ex ipſis ſanguivehorum ductuum membranis, cum & hæ in ſenſilem tranſpirationem, judice *Rolf. Diſſ. An. p. 1095.* celebrent, tranſudando aliquid accedere, credibile eſt. Haud infrequenter abundans illa Lympha in os effunditur & faſtidioſæ SALIVATIONIS cauſa fit: Abutitur autem natura hîc glandulis ductibusque ex lymphaticorum genere, variis, organis viisque illis quas humoris ſalivalis ſecretioni deſtinavit; haſce vias abundans ſerum modò tenuius, modò craſſius petit, effuſumque ad repetitam odioſamq; expuitionem, citra tamen tuſſim cogit. Potiſſimas partes Thymo p. n. in Senibus intumeſcenti tribuit *S. Pauli* παρεκβ. *§. 17.* Salivatio talis ubi ſpontanea & critica eſt, ſalutaris aliquando evadit, ut etiam Apoplexiam iſta ſolvi teſtetur *Sylv pr. l. 2. c. 21.* Aliquando tamen ubi ſymptomatica eſt mortis quoque cauſam fieri in ſeptuagenario obſervavit *König R. A. p. 17.* & in alio *H. Grube de Arcan. p. 195.*

X.

Quod ſi loco unctuoſi illius, quo illini naturaliter Larynx ſolet humoris in Senibus, vel nimio perfundatur ſero, vel juſto acriori, exaſperari eam, vocemque RAUCAM formari contingit. Frigus quo vix ul-

la ætas magis læditur quam Senilis, multum ad hanc gignendam valet, ex quo tantam raucitatem vidit *Borellus* C. 4. O. 27. ut etiam reſpirationem proſtraverit, ægerque qs. moribundus cum ſtertore jacuerit. Acres ex pulmonibus aſſurgentes vapores, ac ſubrepentes tenues liquores, multum hîc poſſe exemplo Phthiſicorum & Empyicor. conſtare poteſt, qui frequentiſſimè hâc laryngis aſperitate tentantur, & tunc in periculoſo ſtatu verſantur. v. *Schmiz. l.c, p, 381.* Maximam autem partem malo huic TUSSIS jungitur, ubi præter Laryngem aliæ etiam reſpirationi dicatæ partes malè habent, causâ irritante, vellicante tunicam interiorem ſ. in ipſa aſpera arteria, ſ. in pulmonibus perque ipſos diſperſis bronchiis, ſub forma modò craſſiore, modò tenuiore. Interdum enim à mole exigua & materia tenui oritur, quando vel ſub Gravedine, vel Ptyaliſmo portio quædam ſeri acrioris rimulam Laryngis ipſamque aſperam arteriam ſubreptitie qs. ſubit, vel ex minutulis aſperæ Arteriæ glandulis vaſisque Lymphaticis acrior lympha exprimitur, & in vicinos parietes eructatur, vel halitus acidi ad Cor, hincque pulmones deferuntur, unde facta irritatione contra rerum iſtiusmodi moleſtarum expulſionem inſurgit natura, quam cum ob exiguam materiæ tenuioris quantitatem, facilè ſubterfugientem, uno alterove impetu obtinere nequeat, repetitis conatibus, citra tamen notabilis materiæ excluſionem perficere cogitur. Nonnunquam quantitas non admodum pauca adeſt, aſpera & acris, ſed nimia tenuitas ejectionem aëris eliſi ope tentatam fruſtratur. Sæpius tamen à craſſioribus viſcidioribus cujuscunque ſortis humoribus cum ſanguine tranante in pulmones depoſitis, veſiculas replentibus, bronchia infarcientibus, comprimentibus, onerantibus, heterogeneis utpl. particulis inſimul infeſtis ad motum talem ſollicitatur natura, quo ope aëris ad trachealium ductuum latera allidentis, quicquid ibi locorum hæret aut jam impactum eſt, expellitur, tantaque aliquando violentia eſt, ut urinæ incontinentiam exinde ortam viderit *Wedel. Eph. G. A 9. & 10. O, 84.* Lympha in ſuperiori aſperæ arteriæ parte exudans craſſeſcens, in viſciditatem coacta ad eundem expulſivum cogit motum.

XI.

Ad cudendam RESPIRATIONIS DIFFICULTATEM omnia conſpirant: Primas aliquando meretur ipſe ſanguis pituitoſus, craſſus, viſcidus, vappeſcens, iſti in circulum per pulmones motui impar, medio in itinere ſubſiſtens, ſtagnans, ſpatiumque ſubituro veſiculas æolicas aëri adimens: Aliquando humor quidam viſcidus, lentus, pitui-

toſus

toſus ex vaſis modò ſanguineis, modò lymphaticis effuſus, modò ex ipſarum glandularum finibus expoſitus, vaſis ſanguiducis & bronchialibus incumbendo reciprocum tum aëris tum ſanguinis commeatum ſufflaminans: Aliquando flatus ex inteſtinis per Lactea ad cor pulmonumque cavernulas translati, quale egregium exemplum in Sene perilluſtri vidit *H. Grubel. c. p. 214.* it. *Raygerus in Eph. G. A. 4. & 5. O. 11.* add. *Rolfinck. Diſſ. Anat. p. 184.* Haud rarò flatus ventriculum & inteſtina nimium diſtendentes, muſculos vicinos ac diaphragma in motu impedientes, frequenter ſanguis vaporoſus, flatulentus hoc malum cudunt. Aliquando flatus tales ASTHMATIS cauſam in veſicula contineri obſervavit *Albrechti Eph. G. Dec. 2. Ao. 1. O. 80.* Reſolutio, aut ſpaſmodica etiam affectio muſculorum pectoris, fibrarum *item* muſcularium in veſiculis bronchialibus detectarum, quid hîc valeat, facilè colliget, qui maximam harum partium in exſpiratione aëris aut exterminatione rei cujuscunque moleſtæ neceſſitatem ſatis perſpexerit. Dictis que modis omnibus libera aëris reciprocatio, obſeſſis, compreſſis, anguſtatis tracheæ bronchiis laboris plena fit, nunc magis, nunc minus, prout ipſæ cauſæ magis vel minus urgent, & pro harum conditione vel raucedines, ſibilos, ſtridores, pulſuum inæqualitates, ſuffocationis metus, membrorum collabaſcentias ſecum trahunt, vel absque his incedunt. Ubi verò refertis jam bronchiis novus ſubitò confertim, & cum impetu accedit affluxus in bronchia magis irruens, (ut toto die evenit, dejectum licet à ſtatu naturali Senum ſanguinem ac vappeſcentem, ſubitò ſæpè, à leviſſima occaſione motum enormunticum, irregularem concipere) vel ubi ob lympham craſſiorem in motu ſuo per pulmones impeditur ſanguis, ſtagnat, ab acidioribus quoque & auſteris humoribus concretio, coagulatio acccedit, anticipatur aëri locus & CATARRHUS SUFFOCATIVUS oritur.

XII.

CACHEXIA, *Aretæo* teſte, ſenectutis propria eſt, ob humoris nutritii, purpuræ noſtræ vitalis degenerationem: ſanguis enim, ad cujus deſtructionem omnia in Senibus, præſ. & fermenti ſtomachalis, continua chylificatione exoleſcentis defectio ſec. Cel. *Hofmann. Prud. Med. p. 49.* conſpirant, crudioribus volatiliſationi ineptis particulis ſcatens, utut partes alluat, earumque poris adhæreat aſſimilari tamen iis penitus nequit, unde cum à tergo mox aliæ *ejusdem* commatis ſubſequantur particulæ, fit ut ex pororum oppletione, fibrarumque relaxatione

tumi-

tumidæ aliquantum, pendulæ, flaccidæ, evadant, floridoque ac vivido co-
fore omni exuantur. E contra fibris partium exiccatis poris conciden-
tibus, lympha deficiente, ſanguine ſegnius moto particulis nunritioni
aptis orbato, ſpiritibus ad aſſimilationem requiſitis, deficientibus MA-
RASMUS, Tabes ſequitur; corpora enim omnia, non humana
tantum, ſed & alia, ex ipſo etiam vegetabilium genere, quo magis ab
ortu, diſcedunt, eò ſicciora fiunt, & ob talem exiccationem, humoris,
ſi quam maxime laudabilis adeſſet, quod tamen non eſt, laudabilis tra-
jectionem inhiberi clarè docet *Roy in Zod. Med. Gall. A. 3. p. 69.* quo-
modo Spiritus vini vinorumque aduſtorum abuſu acceleretur, vid. ap.
S. Pauli Q. B. p. 560. qui etiam de lurido Senum colore agit in *παρεκβ.*
§. 53.

XIII.

Quod ſi partes copioſa humoris ſeroſi colluvie inundentur, *Hydrops*
varii generis fit. LEUCOPHLEGMATIA quidem, quam utpluri-
mum Cachexia præcedit, quod ob vaſorum Lymphaticorum obſtructio-
nem revehenda à partibus lympha retrocedat, ſtagnando poros oppleat,
diſtendat, ſicque in luridum tumorem, æqualiter attollat. Imò ſalvis
lymphaticis ſolius ſanguinis, activis particulis privati, ad aſſimilationem
inepti, ſicque in ipſis partibus corrupti vitio idem evenire, quis dubitet.
Ubi verò ſerum copioſius tenuius, aliquandò ſimul acrius vel ſub redu-
ctione à partibus per vaſa lymphatica in medio itinere, vel per arterias
excidit, ASCITES univerſalis, vel particularis & in ſpecie, viſceri-
bus corruptis, modò cauſæ, modò effectus locum ſubeuntibus, PE-
CTORIS HYDROPS oritur. Nam & ſanguiveha vaſa ſangui-
nem ſeroſum, lixivioſum, fluidum in hoc caſu aliquando eructant. Et
ex illa ſeri in abdomine collectione frequentiſſime Aſcites, rarò aut nun-
quam à flatibus immunis teſte *Schenckio* & *Barthol. c. 4. Ep. 64. 65.* ori-
rur, qui ſucceſſivè tantum in artubus etiam ipſis producit tumorem, ut
pelluceat, ipſaque aliquando aqua per poros cutis ubertim ſtillare inci-
piat, quale egregium exemplum poſt *Bartholinum c. 3. H. 23.* vidit Exc.
Dn. Præſes in viro quodam, aquis hiſce ita oppleto, ut eidem movendo
vix tres robuſtiſſimi viri ſuffecerint, cui intra paucos dies aquæ per to-
tius corporis poros, per ipſos oculos, palpebras, manus pedes, genas,
pectoris, abdominis cutem, &c. copioſiſſimæ effluxerunt, ut ſe ipſum
jam movere citra adſtantium auxilium potuerit. Quid defectus Senum
in ventriculo, inteſtinis, corde, viſceribus, ſanguinis depurationi dica-
tis, glandulis ob fermentorum, ſpirituum, caloris, languorem in chyli

ſan-

ſanguinisque corruptione, obſtructionum productione, ſeroſorum humorum cumulatione, ſalinarum acrium particularum collectione hîc valeant, ex dictis patet. Supervenire ſolent Hydropicis Symptomata magnum minantia periculum, Lethargus, Tuſſis, Diarrhœa, qua omnes ferè Hydropicos mori vidit *Rondelet. l. 2. c. 18.* uti lethalis etiam paralyſis Hydropi ſuperveniens habetur in *Eph. G. A. 6. & 7. O. 134.* Aſciti haud rarò ſupervenit TYMPANITIS, ubi flatus quantitate ſua humores exuperantes, non in Inteſtinis tantum hærent, ſed plerumq; aquæ abdominis cavitatem inundanti immerſi, peritonæum ita extendunt, atque expandunt, ut abdomen percuſſum ſonum edat. Flatus abſolvere hîc conatur *Williſius*, eos tamen excludi penitus non poſſe, ſ. ſub cauſæ, ſ. ſub effectûs ratione, ipſa experientia practica, ratio etiam ſana evincit.

XIV.

Multorum etiam laborum eſt *Vrinæ Excretio*, aliquando *abolita*, aliquando *imminuta*, aut alio quocunque *vitio infeſta*. ISCHURIA quidem ſ. totalis urinæ ſuppreſſio, nunc velociore, nunc tardiore irruens gradu, frequentiſſimè renum & veſicæ vitio contingit: operoſiſſimi a. hîc ſunt calculi, (de quorum generatione mox) mucus copioſus, lentus, glutinoſus, renes, ureteres, veſicæ collum occupantes, urinæ ſecretionem, excretionem remorantes. Rarò quidem renum uterque ex æquo obſidetur, ſæpius tamen ex unius affectione alter quoque inutilis redditur, rationes & exempla videſis ap. *Barthol. C. 2. H. 19. C. 4. Ep. 39. Act. Hafn. V. 4. O. 33. Verzaſch. O. 2. Etmüll. de vi opii diaphoret. c. 2. th. 24*, ſemper tamen hoc non contingit, quia non rarò uno p. n. affecto alter officio fungitur, velut & aliæ à natura gemine in corpore poſitæ partes agunt. Aliquando ſtupor veſicæ in cauſa eſt. *Verzaſch. O. 1.* Haud rarò veſicæ muſculi nimio ſero perfuſi, ſpiritibus deſtituti, imbecilles ſunt, reſolvuntur, aliquando ſpaſmodica quædam eorum adeſt contractio, monente *Drawiz. l. c. p. 354.* qualem ſpaſmodicam affectionem fibrarumque qs. corrugationem pertinaciorem, oſcula transcolatoria occludentem, in ipſis quandoque renibus ſubeſſe probabile eſt, v. *Ettmüll. l. c.* ita E. viis elabendi occluſis, collecta ſenſim ſenſimque urinæ copia poſt intolerabiles cruciatus præſentiſſimum vitæ periculum infert, quod utpl. circa ſeptimum diem præ foribus eſt, quem tamen terminum extendi aliquando, rarius licet, contingit: Exempla vid. in *Eph. G. Obs. Rhod. Tulp. Verzaſch. Barthol.* Ex nimia mali ferocia Epilepſiam & ſubſecutam mortem obſervavit *Höchſtet. D. 5. C. 10, D. 6. C. 1.* ipſius etiam ve-

ſicæ

ſicæ ruptionem, hincque ſubſecutam mortem. vid. *Ex. Pæon. & Pythag. p. 260.* Nullum quoque excernunt Senes lotium, cum in Renibus illud vel Renum, vel ſanguinis ad ſecernendum inepti vitio non ſecernitur. Subinde non quidem penitus ſupprimitur Urina, ipſa tamen excretio difficultatis pleniſſima eſt, ita ut cum ſummo dolore ardoreq; conjuncta ſit, modò guttatim, quod mali genus STRANGURIA dicitur, cum continuo egerendi ſtimulo atq; conatu, modò non guttatim, ſed largiori aliquantum quantitate, cum vehementiſſimo dolore, ob acrium, acidarum, ſalinarum, *Hippocratico* vocabulo ſecretarum, in ſeroſo latice particularum abundantiam, quâ, naturali præſ. veſicæ parietes oblinente muco abraſo, nimis diluto, nervoſas veſicæ partes infeſtat, laceſſit, eas ad inordinatam expulſionem adigit, ac in fibrillas teneras improportionatè agendo dolorem excitat: exacerbatio iſta Stranguriæ tempore Hyberno in Sene notata ab *Höchſtet. D. 6. c. 2,* illaque Dyſenteriæ in ſexagenario ſuccedens Strangurìa, cujus mentio fit in *Ex. Pæon. & Pythag. p. 62.* acrimoniam, aciditatem itidem produnt, nec iſtam in Strangurioſi aperto cadavere veſicæ adhærentem materiam viſcidam & lentam ap. *Schenck. D. de Cinnam. p. 41.* notatam, omni deſtitutam acrimonia crederem. A calculo in octuagenario excitatam vidit *C. Patin. in Eph. G. D. 2. A. 1. Obs. 19.*

XV.

ANOREXIA ob ſpirituum accuſatum hactenus languorem, ſeri cumulum non rarò infeſtat Senes. RUCTUUM ac Flatuum cauſæ longe quærendæ non ſunt, faventq; horum in Senibus generationi Ventriculi, Inteſtinorum quà tonum ſuum & calorem debilitas, exceſſiva menſtruorum aciditas, viſcidorumq; & crudorum humorum cumulus. Cruditatum enim ſoboles hi ructus & flatus ſunt, & ex actione illa acidi exceſſivi tam ſtomachalis, quam inteſtinalis, in materiam illam viſcidam, tenacem, tumultuaria, hincque excitata agitatione p. n. exurgunt, mirè ventriculum ac Inteſtina gravantes, diſtendentes, majore etiam vel minore ſub excluſione ſonitu, pro quantitate materiæ, viſciditate, ac excluſionis vi erumpunt, v. *H. Grube de arc. p. 250. & 140. Barthol. c. 4. Ep. 72.* Ructusque non tam calore & frigore, quibus ſolis aliàs adſcribi ſolebant, quam menſtrui gaſtrici lapſu excitari ipſe ventriculus fatetur ap. *B. Swalv. in quer. V, p. 262.* Raram ex levi frictione eructationem non niſi ceſſante frictione deſinentem v. in *Act. Hafn. V. 1. O. 112.* DIARRHOEA, ut aliàs pro quovis alvi fluxu ſumitur à *Sebiz. in Spec. pr.* ita etiam varii generis accidere Senibus ſolet, maximè qui præ aliis feroſiores ſunt, ichoroſis

roſis fœcibus ac copioſioribus magis ſcatent. Sputatores haud rarò ejusmodi fluxionibus tentantur, deglutito ſenſim ſeroſo, copioſius in os confluente latice, quo etiam modo balbis puerisque Diarrhææ accidunt. v. *Ettmüll. valetud. infant. c. 2. §. 31.* Humores ad debitam craſin, texturam non reducti, ſeroſi, lubrici nimis, fuſi, in inteſtinis non debita, per diverſa menſtrua facta ſolutione, ſecretione, &c. à natura modò dominium obtinente expelluntur, modò ſuccumbente deferuntur, frequenter enim ob motûs & ſanguinis vitalis ex nimiâ portionum inflammabilium penuriâ torporem, ipſæ ſanguinis particulæ mixtionis vinculum excutiunt, ac invicem ſecedunt, ſui juris fiunt, quâ data porta ruunt, ſicque Diarrhæas, fluxus Colliquativos excitant. v. *Peyer. de gland. inteſt. ex. 1. c. 8.* FLUXUS etiam CÆLIACUS, quem *Alii Diarrhæam Chyloſam, fluxum chyloſum* vocant, Senibus non paucis adverſus eſt, quia chylus vel ex cauſis pluries dictis non ritè elaboratus, corruptus, ſtimulis ſuis alvum irritat, & per illam propellitur, vel ob Lacteorum à lentore quodam Senibus familiari obſtructionem ac infarctum, ordinarias debite ſubire vias impeditur. E contra PIGRIOR ſubinde Senum ALVUS eſt, potiſſimum ob ſegniorem ventriculi ac inteſtinorum actionem, propter quam excrementa diutius commorari ibidem coguntur, hôcque ipsô majorem viſciditatem contrahunt, fiſtulæ inteſtinorum tenacius adhærent, ſenſim magis exiccantur, indurantur, compinguntur, motusque inteſtinorum periſtaltici, in ſe etiam à vigore, ob ſpirituum languorem & fibrarum debilitatem remittentis, impulſum eludunt. Clyſteris illius naturalis, bilis defectum, inertiam, non penitus excludo. Ex illa 2. alvi conſtipatione ructus etiam oriri, author eſt *H. Grube l. c. p. 162.*

XVI.

Moleſtiſſima eſt ac familiaris Senibus NEPHRITIS, quia enim ex tam multiplici coctionum lapſu facile generantur, colliguntur, cumulantur ſalia viſcida, fertiliſſima calculorum minera, (vocent alii ſuccum lapidificum, tartarum, pituitam Salinam per me licet) accedente tubulorum pororumque renum anguſtiâ, collabaſcentiâ ob caloris ſpirituumque expandentium jacturam, languorem, renibus ipſis non debite ſecernentibus, arenulæ, calculi, variæ figuræ, magnitudinis, duritiei, coloris, &c. gignuntur. Præſente ergo hâc pororum collabaſcentiâ, mirum non eſt, abundantes in ſero & ſanguine Senili particulas ſalinas, viſcidas eliminandas per hoſce tubulos, inviſcari, irretiri, alias à

tergo

tergo mox ſuccedentes in horum amplexus ruere, ſicque ex lenta aſſociatione deſcriptas arenulas atque calculos exurgere. Principium illud variè ab *Autoribus* determinari ſolitum ſemper ſ. explicitè ſ. implicitè vim congelandi, coagulandi, indurandi dicit; pro ſubjectorum diverſitate etiam diverſum. Præter communia in *Practicorum* libris deſcripta ſymptomata, ſingularia ac gravia nonnunquam juncta habet *Nephritis*, ut ani procidentiam *Welſch. l. c. p. 445.* ſanguinis mictionem *Barthol. c. 1. Ep. 10.* deliria *Borrich. in Act. Hafn. V. 5. O. 53.* Coma *Welſch. l. c. p. 573.* ſubitaneum extremorum frigus *Wepf. de Cic. aq. p. 47.* ipſam deniq; partium obſcænarum gangrænam, *Eph. G. A. 9. & 10. O. 92.* Cur paroxyſmo ingruente limpida reddatur urina & copioſa rationem dat *Willis. Pharm. rat. P. 1. p. 102.* Solent aliquando grandiores etiam calculi ſponte à natura, maximo ſubinde impetu, modò per ordinarias, modò per extraordinarias vias expelli, ut teſtantur *Tulp. O. l. 3. c. 7. Verzaſch. O. 9. Schröck. in Obs. Helwig. p. 317.*

XVII.

Affine priori malum eſt ARTHRITIS, ita ut arthritici ſæpè ſimul ſint calculoſi, aliquando etiam arthritidi calculus ſuccedat. Utut a. naturæ providentiæ ad depurandum Senum ſanguinem debeatur malum hoc, ut loquitur *Sydenh. Obs. de Morb. acut. p. 3.* nemo tamen ejus deſiderio tenetur, ob atrociſſimos quibus ſtipari ſolet cruciatus. Pro fonte habet quoque M. S. & Serum ut Nephritis: Ille a. qui in & circa articulos peccat ichor ex ſolâ humoris in illa parte degeneratione, corruptione, à ſingulari quodam fermento expirante, tantùm deducendus non eſt, metus n. ne ſi à viſceribus talis transmitteretur, convulſiones oriantur in itinere, facilè eliditur eo, quod non quælibet acrimonia, aciditas, ſ. in ipſo corpore ſit genita, ſ. forinſecus accedat, excitandis convulſionibus ſufficiat. Juvari tamen à relicto in poris articulorum fermento ichoroſo, accedentis cum ſanguine ſeri corruptionem, non negavero, ita tamen, ut mali ſcaturigo in Mâ. Sâ. ejusque potiſſimum ſero hæreat, magis vel minus ſec. potiſſimos acido, ſec. *Borrich. in Act. Hafn. V. 4. O. 59.* lixivo, (in corpore hæc duo non ſemper ceu in libris ſeparari cenſeo) nunc fixiore, nunc volatiliore, utpl. ex heterogeneorum congreſſu inimico, hinc ſæpius in flatus abeunte, fermentatorio, præſidem ſyſtematis nervoſi, cui ſingulariter hoſtile eſt, impetente, variasque dolorum ſpecies vehementi, violenta fibrarum nervearum alteratione, excitante. Prout autem ſerum tale acre, flatulentum, fer-

tur in totum corpus vel certos quoſdam articulos, prout ſalia magis vel minus ſunt volatilia, prout maturitatis terminos nanciſcuntur, ita vel univerſalis oboritur Arthritis, vel particularis Chiragra, Podagra, Iſchias, vel etiam Vaga & erratica. Frequentiſſima ferè eſt Podagra, abſtemiis etiam infeſta fide *Tachenii de morb. princ. p.6.* doloroſiſſima, ita ut ne leviſſimum quidem attactum impunè ferre queat pars affecta, mitior eſſe ſolet in Pituitoſa ita dicta, Senibus familiari, ob acrimoniam à viſcidiore ſynovia correctam, vehementior in Bilioſa, ob acrimoniam magis volatilem, minus temperatam. Experiuntur Podagram ſæpius Senes recens maritati, ex obſervatione *D. Waldſchmid. de Cur. Lact. p.5.* ut arthriditem Vagam, quibus conſuetus Hæmorrhoidum fluxus, (ſæpius Arthritidem, docente *Foreſto l. 23. O.4.* ſolvens) ſubſiſtit, ut teſtatur *Möllenbrocc. de Varis p. 105.* Imò ex menſium ob ætatem emanſione Arthritidem obſervavit *Welſch. l.c. p. 612.*

XVIII.

TREMOR affectus Senibus frequens, à nervorum ac ſpirituum An. diſpoſitione hactenus accuſatâ oritur. Languet enim hîc facultas ut ita dicitur Animalis, ceſſat vigoratio muſculorum, ut partes ſuo pondere ferè concidere videantur, ut tremulus iſte loco firmæ tenſionis adſit motus; Cauſæ hîc quàm in Paralyſi leviores ſunt, debitâ ac ſufficiente ſpirituum copiâ ac texturâ partes privantur, quod conſumpti diſſipati ſint, vel ob nervorum quoddam vitium, levem obſtructionem, ut *Feyneo* videtur *Pr. l. 2. c. 8.* communicari fideliter partibus nequeant. Seri vitioſi portionem quandam, in medullam ſpinalem deciduam, aliquando in cauſa fuiſſe, teſtatur *Schenck. H. S. S. p. 74.* A ſpaſmodica nervorum affectione atque irritatione leviori aliquando oboriri non ſine ratione ſuſpicatur *Sylv. pr. l. 1. c. 42.* quod motus convulſivi aliquandò Tremorem ſequantur, aliquando in illum deſinant; imò tremori cuicunque ob iſtum motum, qui & depravatus eſt, ſpaſmodici quid accedere, dici poſſet.

XIX.

Quod ſi ſerum ſalſum, acre, ſolutum, mordax, cum ſanguine ad peripheriam corporis deducatur, idque nec à glandulis ſubcutaneis ſecernatur, nec à vaſis ſanguinis aut lymphæ reductioni dicatis revehatur, nec per cutis ductulos ſ. ſenſibiliter ſ. inſenſibiliter educatur, vel ſi ros laudabilis alluens à charactere glandularum dictarum heterogeneo inquinetur, ſubſiſtens ibi, pruritum fœdamque cutis exulcerationem

pro-

producit. PRURITUM quidem, quando materia mobilior, tenuior partes cutaneas nerveas vellicat, cum titillatione quadam ſtimulat, & ad ſcalpendum qs. invitat, quæ in principio quidem aliquid voluptatis habere videtur, alteratione cutis nondum vehementi, in fine a. mutatione violentiori inducta & unitate cutis per vehementiorem ſcalpturam jam dilaceratâ, utpl. dolor ſequitur. Diſſipatâ a. ſcalpendo materiâ pruritum excitante citra continui vulgò dici ſolitam ſolutionem ceſſare etiam pruritus absque dolore ſolet. conf. *Willis. Ph. R. P. 2. p. 249. Tapp. D. de Tact. deprav. th. 37.* Symptoma aliàs moleſtiſſimum eſt, præ quo ægri per aliquot ſæpè dies noctesque nec ſomnum capere, nec ullâ frui quiete poſſunt, quale exemplum de Sexagenariâ proſtat in *Eph. G. A. 9. & 10. O. 16.* SCABIEM autem, quando ipſa cutis ab acriori iſtiusmodi ſero exeditur, variisque puſtulis, tuberculis deformatur; Proſpiciant hîc ſibi Senes, ne retrocedere faciant vitium hoc, ſ. inconſiderato medicamentorum uſu, ſ. intempeſtivâ madentis præſ. corporis refrigeratione, graviſſimas enim aliàs pœnas luere coguntur, talesque caſus ubivis proſtant, ubi vel graviſſimi affectus, vel triſtis etiam mors palindromiam talem excepêre, ut videre eſt in *Eph. G. A. 1. O. 78. A. 2. O. 213. Höchſtett. D. 3. C. 7. Exerc. Pæon. & Pythag. p. 193.* & paſſim alibi. Non tamen adeò periculoſam Senibus eſſe Scabiem, ut proximè ſecuturæ mortis indicium præbeat, quæ *Tackii* mens erat, teſtatur *Wedel. D. de Scab. C. 9.*

XX.

Illa autem, quæ Senum artus premit LASSITUDO non ſpirituum tantum conſumptionem, ſed & impeditam productionem pro cauſa agnoſcit, ob quam nec vigorari debitè, nec tendi muſculorum fibræ poſſunt: nimiam aliquando earum exiccationem, rigiditatem, ob quam inflari fibræ decenter nequeunt, in cauſa eſſe, nullus dubito, aliquando lymphæ ſtagnatio, tam in ipſis muſculis, quam eorum interſtitiis, ob languidiorem ſanguinis motum, peccare cenſeo cum *Cl. Wepfero l. c. p. 111.* quâ gravantur, mordentur, ſicque defatigantur, quaſi à labore, muſculi. Denique præter varia quæ obſervari ſolent in Senum pedibus Symptomata, quorum meminit *Barthol. in Act. Hafn. V. 5. O. 35.* frequentiſſimum eſt TUMOR OEDEMATOSUS, cujusmodi tumoribus citius viginti Senes, quàm unum juvenem incedere teſtatur *Meibom. D. de ped. œdematos. th. 16.* Cum enim jam ante remotiores ſint à fonte caloris pedes, hincque vi, noxios ſibi humores expellendi

 ferè

ferè deſtituantur, facilè fit, ut lymphæ motus impediatur, lymphaque ſtagnans alterutrum (aliquando utrumque) pedem ita attollat, ut aliquot vicibus altero craſſior fiat. Tumor talis ſolâ ferè magnitudine auctâ moleſtus eſt, cum naturalem ferè colorem ſervet, mollis ſit, tactui cedat, nullumque ſibi conjunctum habeat dolorem. conf. *S. Pauli* *παρεκβ. th. 77.* Aliquando tamen in œdematoſis ejusmodi pedibus *ulcuſcula* quædam, tenue profundentia ſerum excitantur. An v. adeò certus & infallibilis Apoplexiæ prodromus tumor talis ſit, ut *Quidam* contendunt, & ratio & experientia dubitare facit.

XXI,

Sed ſufficiat intentioni Academicæ horum frequentiſſimorum in Senibus Affectuum (quos *de Fogeroles* de Senum Affect. Senectutis, morbi naturalis, affectus dicit) reliquos ætati minus congruos, qui etiam obvenire iis ſolent, omittendo, rationes brevibus expoſuiſſe, quæ uni vel alteri non multum diſpari morbo in Senibus, e. g. Seminis penuriæ, enervationi, oblivioni, affectibus Comatoſis applicari facilè poſſunt. Tribus hîc *Prognoſticum* de Affectibus his Senilibus indigito, eſſe illos *contumaciſſimos*.

Caput III.

Rationem Morbos Seniles tractandi tradit.

I.

PRoponenda nunc, unde in hoc languore ſuo *Senes*, ſub tanto malorum plauſtro ſolamen aliquod petere, quo imminentes morbonæ inſultus modo avertere, quôve ſtratagemate triumphantem ferè hoſtem eludere, ſubjugare, domare aliquando, aut ad minimum ipſas acceſſiones rariores levioresque efficere, quî moleſtiſſimos illos morbos tollere, vel mitigare, vel palliare poſſint. Non verò, ceu *Philippus Sophiſta* teſte *Aëtio* fecit, certum vivendi modum, quo immortalitas obtineri poſſit docebo, non me riſui exponam *ἀγηρασίας* rationem deſcripturus, ex qua cauſa *Philoſophum quendam* ridet *Galenus. Philoſophorum Lapidem, recondita Vitæ Elixiria, Azoth, ſeclæ Crojæ florem, magneticas mumias, olea incombuſta, vividos latices* & ſimilia *Chymicorum quorundam* arcana, quia nunquam vidi, nec forſan alii vera viderunt, non commendabo. *Folia Dauræ* laudes, quæ nimiæ

miæ tribuuntur, non adæquant. *Chocolatam*, *Thée*, *Coffe*, quæ quia peregrina, arrident maximè, per la mode valdè hodie communia, ſua laude non privata volo, multum enim conducunt, cum cautione tamen & moderamine uſurpanda ſunt. *Ambra* magnum Senibus, quales deſcripſi, præbet ſolatium, dolenda ſaltem ipſius caritas eſt, per frequentiſſimam, inutilem, ac prodigam inſumptionem inducta,

II.

Cauſas a. *Vniverſales* removere ſtudeat Senibus conſulturus *Medicus*. *Primò* enim *calor reſtaurandus*, *vigorandus*, *ſpiritus reficiendi*, *multiplicandi*, *roborandi*, *promovendi*, *ſanguinis volatilitas*, *blanda dulcedo*, *uterque motus excitandus*, *augendus*, *humorum naturalium generationes & depurationes juvandæ*. Quod præſtabunt calida vulgò dicta, aromata, aromaticam virtutem ſpirantia quæcunque, & alia medicamenta, tenues, volatiles, ſpirituoſas, oleoſas, ſulphureas, ſalinas, puriores, inflammabiles, activas, mobiles, continuandæ flammæ vitali aptas particulas ſuppeditantia, ex triplici Regno petita, variâ formâ, internè & externè uſurpata. Præſtat tamen moderatè calidis flammam vitalem ſucceſſivè juvare, quam frequentiore & copioſiore nimis calidorum uſu ſpiritus profligare. Liquorum enim generoſiorum nimis ſpirituoſorum, calorem reſtaurandi, viresque reficiendi fine aſſumptorum uſu inconſideratiore, ſpiritus profligantur, abliguriuntur, incenſique ad vappæ nullo uſui aptæ remanſionem abſumuntur, ventriculi menſtruum enervatur, quod etiam experiuntur nimio Tabaci fumo Cerebrum exiccandi intentione inhiantes, ob cujus vim narcoticam non unus Apoplexiâ extinctus fuit; exempla videſis ap. *Helwig. O. 46. Barbett. pr. l. 1. c. 2. O. 1. Deck. in not.* *Secundò viſcidæ*, *glutinoſæ M. S. particulæ educendæ*, *emendandæ*, *attenuandæ*, *incidendæ*, quam intentionem exequuntur medicamenta purgantia, dicta & alia, ſalinis, acribus, nitroſis, tenuibus, volatilibus, penetrantibus particulis referta. *Tertiò terreſtres*, *ſalinæ*, *acres*, *acidæ*, *ſanguinis particulæ eliminandæ*, *imminuendæ*, *corrigendæ*, *invertendæ*; *meatus*, *ductus*, *fibræ*, *pori*, *humectandi*, *liberandi*, *expandendi*, *dilatandi*, cui fini inſervient alviducа, diuretetica, diaphoretica, ſpirituoſa, volatilia jam laudata, ut & abſorbentia, imbibentia, obtundentia, invertentia, diluentia, mucilaginoſa. *Quartò exuccæ partes irrigandæ*, *poræ ſpiritibus aperiendæ ſunt*, *debitâ inſtitutâ dilatatione*, cui ſcopo ſatisfaciunt tàm alimentoſa, balſamicum, roſcidum ſuccum ſuppeditantia, quàm medicamen-

toſa, internè & externè uſurpata, defectum humidi quocunque modo ſupplentia, ſpiritus, pororum, fibrarum motui, expanſioni, apertioni neceſſarios, ſurrogantia. *Quintò ſerum copioſum imminuendum, emendandum, abſumendum*: Huic negotio deſtinantur Purgantia, Diuretica, Diaphoretica, imbibentia, abſumentia, fonticuli, veſicatoria, frictiones. Laudatorum hîc medicamentorum ſpecialem inſtituere enumerationem, ac inſignem colligere farraginem, brevitatis ſtudium vetat, cum & ubivis occurrant. *Selectiora* verò in *Speciali Curatione* recenſebuntur. Cum E. cauſæ dictæ non rarò combinentur, & ipſorum medicamentorum amicum inſtituatur connubium, neceſſe eſt, quod ſi prudenter egerit Medicus, ſimul caloris ac fermentorum, coctionibus neceſſariorum variis erroribus, obviam ibit. Accuſatæ *maſticationi inſufficienti* proſpicietur imperatâ probâ ciborum contuſione, conciſione, imminutione, diluitione, vel ordinatis electisque cibis multam dentium operam non exigentibus. Prius a. quàm ad ſpeciales affectuum Curationes tranſeam, generaliores quasdam rubricas *Triplicis Armamentarii* Medici breviter percurram.

III.

Diæta Senectutem alit, non multa medicamenta, inquit *Fabricius ap. S. Pauli Q. P. p. 248.* Caveant Senes, ne alimentorum mole gravent ventriculum debilem, aut nimia eorum diverſitate eundem diſtrahant, ſimpliciècontra, ſi Longævitatem amant, victu, & pauco, utantur, ſatiusque credant eſſe, crebrô & parum alimenti euchymi & eupepti aſſumere, quam unâ vice nimia mole ventriculum gravare. Cibi intritionem addito butyro, cùm molituræ dentium proſpiciat, multum in Senectute alere tradit *Verulam. l. c. C. 1. th. 54.* Nec incommodum, reliquis junctum præbet alimentum *Panis*, menſtruum gaſtricum, ipſamque ciborum fermentationem particulis ſuis fermentativis mirum quantum juvans, teſte *Senguerdio*, *Möllenbroccio*, *Ettmüllero*; Probè quisquis ſit, fermentatus ſiet, ſecus enim viſciditate ſuâ mille malis anſam præbet, ejusque repletio, confirmante *Sylvio*, peſſima fit. Ex *carnibus* poſt columbinas à *Möllenbroccio* laudatas, utiliſſimæ ſunt Agninæ iſtæ, præſ. ubi haberi poſſunt, in tractu *Narbonenſi* obviæ à *Bartholino C. 4, Ep. 87.* notatæ. Multum capient utilitatis ab *ovis recentibus*, augendo ſpirituum robori admodùm inſervientibus, à *Lacte* item calido, quod *Rivinus* commendat, cui accedit *Sydenham de aff. hyſt. p. 135. & Cel. Waldſchmid l. c.* Lactis uſu vitam ad multos annos productam aliquot exem-

plis

plis confirmans. Nec inutilem *mellis* uſum eſſe, poſt *Aëtium* & *Ficinum* docet *König R. A. p. 131.* ob conſervandi ſpiritus, augendique vires conf. *Lang. miſc. cur. med. p. 58.* Ex potulentis præ reliquis eminet *Vinum*, quod ob egregias humectandi, calorem ſuſcitandi, ſpiritus vigorandi, curas diluendi, aliasque plures virtutes meritò Lac Senum dicitur, nec tanti ſunt quæ *Valleſius Phil. Sacr. c. 29.* in contrarium movet, moderata enim ſi ſumatur quantitate, bonæ notæ, purum, debitè defæcatum, refectionis magis quàm alitionis fine, ut loquitur *Schenck.* nunquam calorem obruet, nunquam Senectutem miſerabiliorem reddet, licet immoderatiore uſu, & cibo pari proportione non aſſumpto, glandularum Meſenterii Epatisque exiccationem producere poſſe, præeunte *Cl. Wepfero in Obſ. Verzaſch. p. 170.* facilè largiar. Ubi nimius à vino ejusque ſpiritibus metus *Verulamius l. c. C. 1. §. 55.* combuſtum commendat. Ita enim ſpiritibus mobilioribus evaneſcentibus, minus periculi iis imminere; Exulent a. Vina muſtea, in Nephriticis præſ. Arthriticis, & Stranguria detentis, cum acrem ſanguinem p. n. commoveant, turbent, partesque heterogeneas ad iſtas partes ſecum abripiant. Meraciore etiam vino non niſi libera gaudentes tranſpiratione utantur, ne hác impedita Lac Senum eorum Latro fiat, monente *Cel. Hofmann. in Prud. med.* Utque potum nocturnum in genere ſuſpectum in Senibus reddit *Barthol. in A. H. V. 2. O. 105.* ita frigidiori præferrem ego calidum, quem vel ſolum à calculo præſervare quorundam opinio fert, ap. *Welſch. Conſ. p. 168.* conf. *Pechlin. de pot. Thee p. 73.* Conſuetudini a. quà hoc multum dandum. Quà cætera longævitati magis favet vita *laboribus* dedita quam otio, (corporis enim exercitium Senectutis gaudium ap. *Timæum Ep. p. 608.*) quod de *converſatione & congreſſu cum juvenibus & amicis* etiam notat *Verulam. C. 10. §. 942.* & *Ficin. l. c. p. 108.*

IV.

Medicamentis cautè admodum Senes ſunt tractandi nec nulla iis, nec ſemper dando, monente *Cel. Wedel. Theorem. p. 135.* PURGANTIA, ceu in genere ſuſpectiſſima redduntur à *Quibusdam* hodie, ob neſcio quam malignitatis imò venenoſitatis notam, fermentationem ſuccorum etiam vitalium putredinalem, vitioſæ humorum colluviei in viſcera commotionem, ſpirituum An. ſeri ſanguinei profligationem, ſubtractionem, fermentorum deſtructionem & quæ

ſunt alia, ita in ſpecie debilibus ſenum corporibus vim inferre creduntur, ut levia etiam purgantia in iis languente ſtomacho, periculo non carere tradat *Fr. Hofm. M. M. l. 1. c. 3.* maximè cum intempeſtivo & præpoſtero eorum uſu Senectus antevertatur, acceleretur, teſte *S. Pauli l. c. p. 246.* Et omninò ſi ullibi, circa Senum ſane purgationem cautâ opus circumſpectione, exhibenda enim non niſi Indicantibus præſentibus, neceſſitate urgente & ſpirituum probè perpendendâ conditione permittente, blandiora, lenientia (quæ nec ipſe *Cel. Bruno* reformidat, *remor. purg. Ex. 2.*) non vehementer colliquefacientia eaque humidâ potius formâ, quàm ſicca. Præſcribit *Vinum Hippocraticum* pro Sene *Ettmüll. Id. præſcr. form. Cl. 4. §. 6.* Ceu à Croco metallorum abſtinere Senes jubet *S. Pauli l. c. p. 473.* ita ego cum VOMITORIIS in genere cautiſſimè mercandū & rariſſimè ipſa noſtris propinanda cenſeo, pectoris enim, capitis, oculorum affectus Senibus familiariſſimi, ſpiritus languidi, vires iſti motui inſufficientes, noxæ, licet non primo die, certo tamen inſequentes non admittunt. Præſ. Quidam malè anorexiam Senum à ſpirituum penuria oriundam vomitoriis curare conantur. Laudem merentur ENEMATA, quæ conſtipationes tollunt, flatus diſcutiunt, dolores mitigant, in debilioribus imò, ut *H. Grube* videtur purgantium vicem ſuſtinent, vitioſosque è locis etiam remotioribus humores educunt, omnibus hinc commendatiſſima. Quæ *Moliere* de iis dicit, contra abuſum applicarem. v. *Fr. Hofmann. M. M. l. 1. c. 10. Cel. J. D. Horſt. Obſ. anat. 10. p. 29. & C. Lang. Diſp. de Acidul. Egran. §. 5.* Relaxatio toni ſanguinis, quam à Clyſterum applicatione in Senibus metuit *Sydenh. Meth. cur. febr. ſ. 1. p. 21.* (an rectè dubito) præcaveri poterit rariore eorum imperato uſu adhibitisque per utrumque guttur ſanguinem, ſpiritus, nervoſas partes roborantibus. Uti per ſudorem tertia ferè ut *Möllenbrocc.* vult morborum pars tollitur, ita longævitatis ſtudioſis, Senibusque præ purgationibus, venæſectionibus ſudationes rectius commendat *Cel. Hofmann. l. c.* egregia enim SUDORIFERA in alienorum à M. S. ſecretione ſunt, ut *Bayle probl. phyſ. 15.* loquitur, in disjicienda ſeri, ſanguinis ſtaſi, humorum acrium acidorum eliminatione, correctione, conciliandâ ſanguini fluiditate, raritate occupatiſſima. Debitum tamen iis accedat regimen, rarioreque eorum uſu & liquidâ potius quam ſiccâ formâ non nimium protracto ſudore nimiam laticis profuſionem avertamus. In iis etiam

qui

qui proniores ad ſudandum ſunt absque medicamentis aliquando proritari ſudores poſſunt. DIURETICA humores vitioſos M. S. penitius immiſtos ſecernentia, copioſius ſerum atque acrius ad renes invitantia, particulas ſalinas, acidas cum ſero propellentia, vias laxantia, oblinentia, obſtructiones expedientia, ſanguinem attenuantia, obſervata naturæ propenſione, cæterisque paribus, non ſine laudato eventu & hîc exhiberi conſtat. Præferenda tamen acidis (Senibus nocivis) aromatica & ſale volatili pædita, cum PRÆCIPITANTIBUS, quæ ob alios etiam fines Senibus proficua experimur quotidie, præſ. quæ ex Animali & Vegetabili Regno deprompta volucrium partium ſimul quid poſſident.

V.

OPIATA, quæ ſola Cardiaci nomine dignatur *Sydenh. O. d. morb. ac. ſ. 4. c. 3.* majori quotidie inſigniuntur laude, ob vires diaphoreticas, alexipharmicas, cordiales, figentes, &c. non quidem omnibus deneganda ſunt Senibus, at ubi ſpiritus deficiunt, dejecti ſunt, pectus anguſtiâ premitur, ceu iſtis de quorum affectibus hactenus dixi contingit, multa ſunt quæ ipſa prohibent. Rarius quidem circa APHRODISIACA conſulitur Medicus, non tamen nunquam; ut ridiculum tale exemplum de Sene capulari refert *Forcſt. l. 26. O. 19. in Schol.* utque ſtimulantia parum fere auxilii promittunt, ita ſemen ſubſtantialiter augentia, analeptica, ſpirituoſa, alimentoſa iis commendat *Wedelius* & *S. Pauli.* Non inutilia ſunt Senibus JUSCULA herbis, radicibus, floribus recentibus, contra cauſas incuſatas directis, aromaticis ALTERATA, per tres, quatuor ſeptimanas, verno maxime tempore & æſtivo quovis mane exhibita, ob ſaporis gratiam facilemque digeſtionem virtutemque tàm alimentoſam, quàm medicamentoſam variam, humectantem, temperantem, diluentem, ſpiritus, calorem augentem, palato, ventriculo, toti corpori gratiſſima, ſi rectè parentur. Ab ACIDULIS non penitus arcendi ſunt Senes, cùm etiam deobſtruant, incidant, abſtergant, diſcutiant quædam illarum. At, quæ in aliis ætatibus, hîc potiſſimum, penſitandæ ſunt circumſtantiæ permittentes vel prohibentes. Decrepiti arcendi hinc ſunt ob rationes ab Exc. Dn. *Præſide Diſſ. Inaug. de Acidul.* §. 7. allegatas. Conf. *Lehnerum de Baln. Abacenſ. p. 44.* Quotidiana ferè, teſte *Fuchſio in Inſt.* Senibus olim fuere BALNEA, pro corrigenda ætatis vitio obveniente partium ſiccitate, calore par-

tibus impertiendo, tranſpiratione juvandâ, fuliginibus educendis, quo fine adhucdum hodie ſive ſimplicibus, ſive arte vel naturâ medicatis aquis inſtituantur, locum habere poſſunt. Singulare tale Balneum pro laſſitudine Senum ſpontanea habet *S. Pauli Q. p.214.* Ipſe tamen uſus nec nimis frequens, nec nimis diuturnus ſit, ne partium Atonia, à qua jam ante vix penitus immunes ſunt, ſubſequatur. Abſit nimia viſcerum imbecillitas, nares Catarrhoſæ, nimia ad ſudorem propenſio, & quæ ſunt alia. Cautiones communiter de Balneis imperatæ, hîc loci obſerventur maximè. SALIVANTIA abeſſe jubeo. TRANSPLANTATIONEM ſive in bruta fiat, ſive in plantas, arbores, cum cauſam continentem tollere neſciat, vix quicquam laude dignum præſtare cenſeo: fruſtraneam certè illam expertus eſt Diabeticus ille Senex in *Aƈt. Hafn. V. 1. O. 5.*

VI.

Cum nulla ætas VENÆ SECTIONEM penitùs diſſuadeat, verùm emittendi ſanguinis quantitatem tantùm determinet, verbis B. *Swalv. Therapeut. p.120.* ipsâque experientiâ teſte nonnunquam feliciter adminiſtretur, (ita in Septuagenario *H. Grube*, in plus quam ſeptuagenario *Wedelius*, in oƈtogenario *Foreſtus* in nonagenario fere *Volkamerus*, in illuſtribus perſonis oƈtoginta annos transgresſis Exc. Dn. *Præſes*, *Alii* in aliis feliciter adminiſtratam fuiſſe teſtantur,) hinc non intermittenda eſt, ſi Indicantia adſunt. Verum ubi ſanguis ſufficiente ſpirituum copia deſtitutus eſt, in exuccis, exanguibus, ubi nimia ſeri humiditas inundat corpus, crudi humores illud premunt, quales potiſſimum haƈtenus conſideravi Senes ſuadenda non eſt. Senex ille in *Aƈt. Hafn. V. 5. O. 71.* à V. S. per neceſſitatem licet imperatâ oblivionem ſentiebat. SCARIFICATIO ut vario fine locoque, ita vario etiam eventu inſtituitur, dandum tamen interdum aliquid conſuetudini. Plus v. ſalutis ponerem, ſi indicatur, in illa quæ ſanguinis, quam quæ ſeri è pedibus Hydropicorum eduƈtionem pro fine habet, quæ quidem aliquando cum emolumento aquas educit, iis tamen, elapſo aliquo tempore revertentibus, repetita, in caſſum utplurimum inſtituitur, exemplum v. in *Eph. G. A. 3. O. 339. in Schol.* An illa Arthriticorum in parte affeƈta ſcarificatio alicujus momenti ſit, ut *Fr. Piens* videtur, dubito. CUCURBITULÆ ſine ſcarificatione non negligendæ, diſcutiunt enim, ſpiritus excitant, revocant, ſanguini motum conciliant aliisque à *Fr.*

Bayle. l. c. probl. 13. tactis beneficiis incedunt, magnum inde in Apoplexia remedium ap. *Barthol. Timæum, Camerar. Memorab. C. 16. §. 50.* Commendandi & hîc ſunt FONTICULI, non tàm alluentem cum ſanguine lympham corrumpentes, excernentes, quàm eructatas à ſanguine ſordes, fundentes. Præit quandoque natura in hoc negotio ipſi Medico naturalium fonticulorum ſive ulcuſculorum hîc, ibi, excitatione, per quæ non ſecus ac per fonticulos artificiales mane & veſperi quasdam corruptorum humorum portiones eliminat, quale exemplum in ſexagenaria proſtat in *Eph. G. A. 3. O. 18.* Sequitur E. Medicus naturam rectè agentem, ſicque vitioſis quibuscunque humoribus commodam elabendi rimam parat, ita enim in fœminâ plus quam ſeptuagenaria fonticulo in crure excitato, menſtrûum fluxum rediiſſe, ut inde rejuveneſcere crederetur, referunt *Eph. G. A. 9. & 10. O. 46.* in viſus etiam debilitate cum oculorum rubedine dolore in ſeptuagenario admodum profuiſſe Fonticulum *ibid.* legitur *A. 3. O. 156.* Suis quoque digna elogiis ſunt VESICATORIA in evacuandis humoribus, ſpiritibusque ſopitis excitandis, ſanguine torpidiori agitando, operoſiſſima. Ipſi aliquando deraſo capiti admoveri ſolent, quem modum utilem expertus eſt *Puerarius ap. Barthol.* & commendatum legimus à *Timæo in Epiſt.* FRICTIONES, poros aperiunt, heterogenea diſcutiunt, tranſpirationem inſenſilem promovent, ſpiritus in ordinem redigunt, calorem ſuſcitant; nimiæ tamen nè ſint, providendum, quia ſpiritus inſimul disſipant, præſ. ubi tenerioris ſunt texturæ, hinc & in phthiſi prohibet eas *Cl. Wepf. l. c. p. 269.* Multum quibusdam arridet TRANSFUSIO SANGUINIS, quæ Senibus ex infuſione ſanguinis floridi juvenilis, in locum effæti, emarcidi, extrahendi, virium qs. redintegrationem promittit, ut videre eſt ex *Orat. de Transfuſ. Sang. D. Kleinii in promotione Doctorali habita p. 12.* At quot quantæque ſententiam iſtam premant difficultates, hujus loci non eſt eruere, ſufficiat ſingularum partium fermenta effœta jacere, quæ laudabilem quemcunque ſuccum ſibi non aſſimilare, imò corrumpere, deſtruere, ſpemque conceptam omnem evertere queant; ex qua ratione quoque iſta SANGUINIS ex corpore juvenili SUCTIO à *Ficino l. c. p. 104.* commendata, ſuſpectiſſima & inutilis redditur. Conf. *Mercklin. de Transfuſ. Sang. c. 3.* CHIRURGIAM INFUSORIAM in Senibus præſ. Apoplecticis ex rationibus hinc inde obviis ſuadent *Quidam;*

ſcatet tamen & hæc ſuis difficultatibus, quarum partem videſis in *Eph. G. A. 1. Schol. ad O. 149.*

VII.

Quid jam *in Specie* in quovis affectu agendum ſit, breviter exponendum. Ubi E. IMBECILLITAS VISUS adfuerit, habitô cauſarum diſcrimine, quantum poſſumus, tentandum: Humiditates corneam qs. inundantes, viſumque offuſcantes imminuendæ, diſcutiendæ, derivandæ, tunicæ mundandæ, clarificandæ, detergendæ, ſpiritus ſerenandi, reſtaurandi, humores naturales aliâs depurandi, attenuandi, halitus, fuligines, iis immerſæ diſcutiendæ, ſi quod nervos occupat vitium, levis quædam obſtructio, exiccatio, (ubi humida, alimentoſa & externa juvant) vi contrariorum omne removendum. Præſtant hæc aſſumpta quæ particulis tenuibus volatilibus penetrantibus conſtant, variâ formâ: Laudem hîc merentur pulvis ex *rad. Valerian. Sem. fænic.* vel hujus conſobrin. *L. Saſſafr. euphraſ. ſem. ſiler. montan. L. aloës, C. alc. ph. calc. ambr. & moſch.* (de quo notari velim, Senibus non in magna quantitate, ne ſpiritus pauci diſpergantur magis ac reſolvantur, exhibendum) Externè juvant, quæ itidem tenuibus particulis activa ſunt aliquo modo, nonnunquam acria, *Spir. vini* vel ſolus vel Cephalicis tinctus, *Spir. Euphraſ. chelidon. majus*, poſt maſticationem ſem. fænic. aniſ. &c. immiſſus ſani hominis halitus conducit. *Nicotianæ* pulverem tam in aliis quam in ſeipſo utilem expertus eſt *Bartholinus*, cujus rationem dat *Steno*, qui etiam *Zingib. radicem* ſaliva humectatam oculisque admotam priſtinam iis poſt copioſum humoris effluxum aciem reſtituiſſe refert. *J. D. Sala* ſuadet oculorum ablutionem cum *aq. fænic.* & *euphraſ.* cui parum *vitrioli cyprii* infuſum fuerit, ut legitur in *A. H. V. 5. O. 19.* omnia enim ex *euphraſia* petita mirificè viſum reficiunt teſte *Timæo*, hinc quoque eandem cum *ſem. fænic.* (quæ duo juncta utiliſſimum, pro interno uſu, ſæpius de die uſurpandum pulverem conſtituunt) in pulverem ſuum naſalem pro oculis recipit *Bartholinus*; negligenda tamen non ſunt, quæ circa *euphraſiam* monet *S. Pauli l. c. p. 294.* Omnibus fruſtra tentatis *ſarmentorum lixivium* loco collyrii uſurpatum, profuiſſe notavit *Borellus*. *Viperarum* etiam *pinguedinem* viſum acuere ap. *Schröderum* & *in Eph. G.* legitur, quam in aliis quoque oculorum affectibus egregio emolumento adhibuerunt *Dan. Ludovici, Wedelius, König* & *alii*. In hoc & aliis oculorum

Se-

Senilium affectibus leniter purgantia, e. g. *maſſ.* aut *extr. pil. de ſuc. cin. ſir. roſ. ſolut.* &c. ubi opus eſt, ſemper v. debitum Diætæ regimen commendo. Mediis antea dictis, aut ferè ſimilibus (ſub quorum uſu à *ſpir. ſalis* ✲*ci* abſtinendum eſſe monet *Ettmüll. de præcip. p. 72.*) SUFFUSIO, ſi adhuc in principio fuerit, tollitur, *felle* præſ. *Viperino*, quod expertus eſt *Wedelius*, ut *Scultetus fel Lucii piſcis*; ubi v. jam incrementum eundo ſumpſit, omnia laboris plena, imò fruſtranea planè ſunt: conſummatam tamen *Sp. vini* cum petiis duplicatis oculis impoſito ſublatam refert *Timæus*. Omnis aliâs Curationis ſpes in *acu Chirurgica* ſita eſt, de cujus directione lectu digna habet *Wepf. l. c. p. 117. 128.* quæ tamen operatio in hâc ætate rarò tutò ſuſcipitur, in Catarrhoſis præſ. & Tuſſiculoſis quali motu facile depreſſa modo Cataracta priſtinum locum repetit. In CÆCITATE, ſi quid adhuc ſperandum, recenſita hactenus tentari quoque poſſunt: Diuturnæ cæcitatis, *ptarmico* ☿*li* ad gr. j. quotidie ſumpto per nares ſublatæ, meminit *Borrich. ap. Barthol. C. 4. Ep. 92.* Multum ſolatii omnes oculorum affectus ex *Veſicatoriis*, *Fonticulis*, *Setaceis* hauriunt. De *Specillorum* uſu in juvando viſu vid. *Camerar. Memorabil. C. 2. §. 58. & ſeq. C. 7. §. 28. Foreſt. L. 11. Schol. ad O. 37. Borell. C. 3. O. 99. Comiers in Zod. Med. Gall. A. 3. M. octobr. §. 9. & M. nov. §. 2.*

VIII.

DIFFICULTATI AUDITUS & SURDITATI à dyſcraſia & penuria ſpirituum ortæ, ſpirituoſa internè ſumpta, ipſisque indita auribus ſubveniunt, nobiliſſima ſunt, quæ è *Moſcho* & *Ambra* petuntur, goſſypio excepta auribus immittuntur, variave ſicca, liquida, media forma, aliis ſpirituoſis volatilibus juncta, ore hauriuntur. Ubi ſimul quædam aëris acuſtici impuritas, tympani, nervi auditorii relaxatio, aut nimia humectatio accedit, jungi his poſſunt diſcutientia, exiccantia, nervos ſpiritus roborantia, ſerum ſuperfluum dementia. *Roſmarin. origan. majoran.* &c. maſticatoria ex *rad. pyrethr. maſtich.* ſaccul. ex *fl. anth. ſerpill. thym. origan. chamomill.* ſuffitus ex *pulv. fumal. Haug.* hîc loci uſitatiſſimo, *farinâ fabarum à Wedelio* laudatâ &c. *Pinguedinem viperarum* cum tantillo *ol. ſuccin.* auribus infuſam commendat *Welſch. fel perdicum*, & *eſſent: fellis human. c. Sp. V. extractam Hartmannus*, *urinam leporinam* calide auribus inſtillatam, diſcutientem, detergentem *Verzaſcha*, *Lyſerus*, *Cauterium* in occipite *Borrich.* quibus paria aliquando præſtant *Veſicatoria* ponè

aures

aures excitata. Nimiæ Tympani ſiccitati vix, niſi habito totius reſpectu conſulitur. In TINNITU hujus loci juvant eadem, promovent enim ſanguinis motum, frigidamque nervorum ac membranarum conſtitutionem corrigunt. Omnibus fruſtra tentatis in ſudoriferis medelam latere docet *H. Grube l. c. p. 138.* Interna adducta & hîc proſunt. *Trifolium fibrinum* ejusque potiſſimum ol. d. goſſypiô ad guttas aliquot exceptum, auri inditû, uſus in ſexagenario probavit, referente *Willio in A. H.* qui tamen plus in *ol. C. C. d.* virtutis latere autumat. *Oleum nuclei balani Myrepſicæ* expreſſum omni ſubvenit Tinnitui, ſi *Schrödero* fides habenda; nec prætereundus *Balſ. Apopl. M.* vertici inunctus auribusque bombace immiſſus, efficaciſſimus; *ol. amygd. am. vel ſolum vel cum ol. aniſ. vel c. eſſent. caſtor. vel balſam. apoplect. multum juvat:* Item ſacculi ex carminativis. Quæ ſingula etiam in priori aurium malo conducunt. De *purgantibus* & *Diæta* prius monitum & hîc & porro repetitum velim

IX.

APOPLEXIA curanda (quò levius maxime affine malum APHONIAM etiam referrem) requirit, ut Sp. Animalibus, cum debiti adſunt, porta ad partes aperiatur, ut ipſorum defectus, torpor, ligatio tollatur, ut ſanguinis, lymphæ lentor aut ſtaſis auferatur, quod exequi valent ſpirituoſa, ſulphurea, volatilia, oleoſa, urinoſa, attenuantia, penetrantia, ſuſcitantia ſub variis formulis. Multum & proficimus *frictionibus* extremorum pannis aſperis deorſum factis, *veſicatoriis*, brachiis, pedibus, ipſi aliquando capiti injectis, *punctionibus*, *vellicationibus*, naribus, vertici etiam, temporibus nuchæ inungendo *ol. balſ.* & *eſſent. ſuccin.* ✠ *balſ. rut. eſſ. caſtor. ſp. ſal. armon. ol. ſuccin. camphor. Balſ. apoplect.* &c. ſanguinis ſi opus fuerit, (quod hîc rariſſimè) emiſſione, virium robore determinanda, *cucurbitulæ*, vertici deraſo forti flamma applicatione, *ptarmicorum* exhibitione, corporis erectione, aliquando agitatione, alvi per *clyſteres, ſuppoſitoria* acriora proritatione, & ſimilibus pro circumſtantiarum ratione moderandis. Circa ſpirituoſa tamen cautè mercandum ne eorum exceſſu malum augeamus. Proſcriptus hinc communis ille *aquarum Apopl.* abuſus in *Med. Crit. Ammann. p. 474.* nec non ab *Hannemann. de uſ. & abuſ. inebr. p. 43.* Laudem merentur *ſpec. contra Apopl. Aug.* quæ vel ſolæ vel additis pulv. *analept. tripl. Mind.* potiſſimum *temperat. L. aloës, lavend. majoran. mar. ver. C. alc. cran. hom. ſuccin. pp.*

Cinnab.

Cinnab. nativ. Aq. apoplect. commun. aq. ceraſ. n. mixt. aut ſp. lil. convall. modic. gutt. Elix. vit. Q. & aq. ceraſ. n. c. Sir. cort. citr. felici ſucceſſu adhibentur. In Loquela poſt Apopl. amiſſa faciet *Gargariſmus* quem habet *Ettmüll. de præſcrib. form. Cl. 4. §. 26.* Externè temporibus, nuchæ, ſpinæ dorſi *ol. ſuccin. caſtor.* inungi poteſt. Præſentiſſimum ex *napello* contra Apopl. parari remedium vult *Hannemann. Meth. Cogn. Veg. p. 99.* cui lubet, eum ſequatur.

X.

In PARALYSI & movendi impotentia conducunt poros nervorum aperientia, fibras nerveas roborantia, calorem augentia, reſtaurantia, ſpiritus ſuſcitantia, vigorantia, relaxationes amolientia, nimiamque ſeroſitatem diſcutientia, abſumentia. Laudem merentur *Caſtoreum, ſl. paralyſ. L. Saſſafr. Spec. diambr. aq. anhaltin.* laudata hactenus *cephalica* vulgò dicta: *Spiritu Salis Armon.* cum *ſp. lil. convall.* aliquot Paralyticos curavit *Wedelius*, nervina, volatilia, penetrantia infuſa maximè etiam commendans. *Aſa fœtida* in pilulis præſtantiſſima eſt, *Rondelet. M. C. M. c. 23.* Externè *Hartmann.* in principio commendat Balnea ex *lacte* & *oleo*, vel ex *lacte* cum *aqua mixto*, vel *Hydroleo; Balnea* naturalia & artificialia ſpecialem pro ſubjectorum conditione requirunt prudentiam. *Spir. frumenti*, cui *H. paralyſ.* incocta fuit, paralyſin ſiniſtri lateris curavit *Barthol. Veſicantia, Rubificantia, urticationes* &c. proſunt, quia & heterogenea abſumunt, educunt, & viam ſanguini ac ſpiritibus ſternunt, ſimul humores attenuant, agitant, ſic urticationibus ſolis, *urtica minima* tentatis, multos paralyticos curatos eſſe teſtatur *J. Matthæus Conſ. 2. pro princ. Badenſ. p. 38.* Manus paralyticæ in recens mactati bovis vulnus intruſio feliciter ceſſit ap. *Borellum.* Canes & alia animalia huic etiam adaptantur negotio. *Inunctiones* quæ adhiberi hîc ſolent, ex *ol. caſtor.* è *ſl. Slotan. lumbr. terr.* additis aliquando *ol. d. ſl. anthos, ſuccin.* non in loco tantum affecto, ſed & ipſa ſpina inſtituendæ ſunt.

XI.

In VERTIGINE ſpirituum defectui cuicunque ſive proprio ſ. viarum ac partium vitio, obviam eundum, inordinatus motus reducendus, ſiſtendus eſt: ſanguis attenuandus, movendus debitè, ſerum abſumendum, flatus vapores diſcutiendi ſunt. Præter jam dicta *Cinnabarina* non uni ſatisfaciunt intentioni, ſuum hinc commendat pulv. contra Vertig. *Grülingius*, potiſſimam partem ex *Cinnab.*

nab.

nab. nat. & *ſtercore pavonum* conſtantem. Inter ſpecifica *Welſchius* recenſet *Aegagropilos*, *Hertodius Cherefolium*, *Bartholinus corollas ex Sirenum oſſibus carpo applicitas*, *Alii alia. Sem. Aquileg.* tanti factum à *Fr. Hofmanno* ſine dubio vi ſua, quâ maximè pollet, diſcuſſoria ſe commendat, ob quam etiam *rad. Doronici* familiariſſimi uſus eſt, quæ abſorbentibus attenuantibus, *C. alc. cryſtall. pp. Cinnab. nat. ſuccin.* & ſimil. addita, multum præſtat. Juvant *pilul. ex extr. L. aloës, pæon. caſtor.* Eminent inter aromata *cubebæ*. Euporiſton eſt quod habet *Quercet. Pharm. dogm. reſt. c. 20.* Ex ventriculo & jejunio oriunda aſſumpto *Zingiberis* in India cond. fruſtulo, vel *bucella panis vino intincta* tollitur. v. *Ettmüll. de præcip. p. 39.* *Externa* jam laudata & hîc ſuo funguntur officio. Juvant *frictiones*; & maximè tam animi quam corporis *quies*. VIGILIIS opponenda ſulphure oleoſo aromatico, roſcidis, glutinoſis particulis, ſpirituum penuriam tollentibus, pollentia, ſpirituoſa, demulcentibus, humectantibus, diluentibus mixta, quo nomine ipſum aliquando *vinum* ſopiendo, demulcendo ſpiritus, ſerum etiam ſupplendo, ſpec. diambr. diamoſch. d. & ſimil. ex conſerv. anth. meliſſ. omnium a. optime Emulſiones conducunt. Conf. quæ hanc in rem ex *Lang.* & *Craton.* habet *Bonet. in Mercur. Comp. Refrigerantia, papaverea, opiata*, vix, imò in hactenus deſcriptis Senibus *nunquam* exhibenda, rariſſimè, ubi nimia Spiritus turbat agitatio. *Curis* nimiis interdicatur. Quæ de columbis diſſectis plantis pedum impoſitis *H. Grube*, de raphano, ruta & matricaria contuſis eodem loco ſuppoſitis *Bartholinus*, de ramuſculo creſcentis in Provincia Hunquam arbuſculi Manghoa das Schlaffbäumlein dictæ, nudæ carni alligato *J. Neuhof*, quæ *Alii* de aliis, ſomnum conciliantibus referunt, feliciore in alia, quam Senili ætate ſucceſſu adhiberi cenſeo.

XII.

CATARRHI ſi urgent, nimiæ ſeri quantitati, craſſitiei, fluiditati, perverſo motui, particulis heterogeneis, glandularum laxitati proſpiciendum; quibus intentionibus ferè omnibus ſatisfacit *ſuccinum*, nimiam n. ſeri quantitatem imminuit, craſſitiem reſolvit, perverſum motum refrænat, varia ſeri inquinamenta abſorbet, debitam ei conſiſtentiam conciliat, ipſasque glandulas mirificè roborat: de vario præparandi & exhibendi modo vid. *Kemp. Diſp. de ſuccin. N. Lemery curſ. Chym.* & *Alios*. Ubi inciſione opus & attenuatione, *aron, enul. rad. ireos, ſquill. marrub. ſerpill. roſmarin.* &c. conveniunt:

veniunt: *fumum foliorum trifolii fibrini* ſuadet *Willius l. c.* Ubi incraſſatione opus, cum magna cautione *pil. de cynogloſſ. aut Styrac. Cl.* præſcribenda. *Veſicatoriorum* applicatione, & *fonticulorum* inductione non rarò aliam ſero viam feliciter monſtramus. Hisque in EPIPHORA etiam, CORYZA & SALIVATIONE locus eſt, ita ut ſæpius ſolius ſuccini ſuffitu, patulo ore ſenſim excepto, aliquando una tantum vice uſurpato, mox in ſuo principio curaverit Coryzam *Sylvius*, ne ultra noctem duraret: fugienda autem hîc quæcunque ſero impetum dare valent, Capitis potiſſimum lotiones & balnea. RAUCEDO ubi hiſce jungitur, addi *ſuccino* & laudatis *Sperma Ceti* poteſt, vel hoc ſolum etiam in calido quodam vehiculo mane & veſperi exhiberi; nec negligendus *Sir. de Eryſimo Lobel.* In TUSSI reſolventia incidentia ex *ſpec. diair. rad. ari, helen. Lob. ſan. & expert. ad aſthm. angelic. hyſſop. veron.* locum habent; egregias poſſidet vires laudatum modo *Sperma Ceti*, vel ſolum vel *ol. amygd. d. rec.* quod in tuſſi magni facit *Sydenham*, permixtum. Ex *Lupulo* quoque non inane raucis tuſſiculoſisque Senibus auxilium promittit *S. Pauli l. c. p. 380.* Mucilaginoſa, demulcentia, lubricantia nunquam omittenda. Ubi tenuius ſerum eſt ac fluidius, *tragac. Sem. 4. fr. bol. Hæmat. Sir. roſ. ſicc. Conf. roſ. r. ant.* &c. proſunt. De *opiatis* cautio dicta obſervanda; *papaverea* aliquando admitterem. In DIFFICULTATE RESPIRATIONIS & ASTHMATE, aromaticis, ſpirituoſis, incidentibus, utrumque ſanguinis motum reſtituentibus, obſeſſaque à viſcido, tenaci muco bronchia liberantibus ex ante dictis & *G. ammon. Croc. helen. myrrh. fl. benz. ſulph.* (maximè quos ipſa ſublimavit natura in agro Puteolano reliquis præferendos, judice *Wormio Diſſ. Inaug.* §. *46.*) &c. agendum; aliquando nervinis nimias fibrarum tenſiones, relaxationes corrigentibus, ex *Sperm. Cet. lumbric. caſtor. Cinnab. nat.* aliquando carminativis ex *aniſ. Zedoar. l. Saſſafr. cort. arant. ambr.* & ſimilibus, externis nunquam omiſſis. De farinæ ex *julis abietum teneris* utilitate in tuſſi ferina & Aſthmate v. *Reines. l. c. p. 73.* In CATARRHO SUFFOCATIVO denique, ſecta ſi opus videbitur vena, v. M. *Thruſton. de reſpir. p. 64.* aliisque pro excitatione adhiberi ſolitis §. 9. adductis pro ſtagnantis circa cor & pulmones lymphæ, ſanguinis, reſolutione, ad motum revocatione, flammæque vitalis reſuſcitatione, ad ſudorifera ceu ſacram Anchoram, peſſimè, querulante *M. Hofmanno*, omitti ſolita, confugiamus,

quibus *Sperm. Cet. oc. 69. fl. ſulph. oxymel ſquillit. aq. veron. c. vin. aſthmat. H.* & ſimil. jungi poſſunt.

XIII.

Circa MARASMUM quidem res difficultatis pleniſſima, agimus tamen, quod poſſumus; nativam quæ deficit humiditatem aſcititiâ ſupplemus, exhibendo laudabiles præſ. & boni ſucci cibos, inſimul glutinoſa, mucilaginoſa humectantia medicamenta, hinc Gelatinæ carnium, conſummés, Gelatinæ C. C. ebor. juſcula alterata & ſimilia laudem merentur: Spirituum it. languori balſamicorum, aromaticorum ordinatione conſulamus, ſicque quousque licet ſuſtentare ægrum laboremus; ita impigro labore adſtantium deſiderio ſatisfieri aliquando poteſt, qualem etiam caſum recenſet *Bartbol. in A. H. V. 1. O. 37.*

XIV.

In CACHEXIA & LEUCOPHLEGMATIA parum diſcrepat procedendi modus: Dyſcratos np. qui adeſt ſanguis, viſcidus, seroſus variè collutulatus, imminuendus, emendandus, viſcera eorumq; fermenta roboranda, calor, ſpiritus, vigorandi, ſerum ubicunque ſtagnans motui reſtituendum, corrigendum, educendum: Inſigni ſtratagemate *tartareorum*, ♂*lium*, ♃*lium cum aperientibus, incidentibus*, acrium, tenuium, volatilium, penetrantium, balſamicarum particularum conjunctio fit, quibus ſanguis, ſerum attenuatur, obſtructiones expediuntur, particulæ emendari neſciæ diſcutiuntur, per vias commodas eliminantur, debita inſimul ſanguini conſiſtentia conciliatur. *Eſſentiam* ſuam *Catarrbalem* in Senibus maximè commendat *Clauderus Meth. Balſam. p. 215.* Circa ♂*lia* probè notetur cautela ab *Ettmüllero* inculcata *de præcip. p. 72.* Iisdem in HYDROPE tàm PECTORIS quàm ABDOMINIS ſpecialiter ASCITE dicto inſiſtere poſſumus, magis tamen *Diureſi* (& in principio *purgationi* per leniora è numero in his affectibus commendari ſolitorum) quam *Diaphoreſi* intenti ſimus, facilius enim ad vias urinarias copioſius ſerum quàm ad corporis peripheriam ducitur; Hinc in ſolâ ferè Diureſi Hydropicorum ſpes fundatur, ad cujus promotionem ipſi cum *Medico* intenti unicè ſunt. *Theriacam* quomodo & cur exhibuerit *Hœchſtetterus* ipſe explicat *in Schol. ad Caſ. 1. Dec. 3. Lixivium cinerum abſynthii* vel *geniſtæ, Benedictum*, item illud *M.* quosdam, non tamen omnes per Diureſin juvat, teſte *Willis Ph. R. part. 1. p. 93. Aromata,*

apium

apium petroſel. Cuſcut. gentian. cerefol. Sir. byzantin. ſp. urin. volat. aperit. Pen. Elix. propriet. diaphoret. ♂tial. ſal onon. junip. ſuccin. volat. cort. arant. ſpec. dialacc. diarrhod. abb. &c. conducunt. Diſcutientia cataplaſmatum formâ calidè appoſita ex *bacc. junip. ſem. cumin. fabar. abſynth. chamomill. rut. Enemata* it. aliquando non ſine fructu applicantur. Aquam in pedibus congelatam vaporibus aut *fomentis calidis* reſolvere docet *Cel. Volkamerus in Eph. G. D. 2. A. 1. O. 178.* In TYMPANITIDE abſorbentibus, viſcera roborantibus & Diureticis, adduntur carminativa ex proprio penu petenda. Expertum hîc pulverem deſcribit *Hertod.* Multos quoque in principio *ſp. aperit. Penot. c. rob. ebuli* ſanatos eſſe refert *Sachſius.* Specificè aliâs *Hartmannus* commendat liquorem fl. thapſi barbati.

XV.

In ISCHURIA potiſſimam aliquando curam poſtulant calculi, de quibus mox: Aliquando autem partibus muſculoſis, fibroſis, nervoſis, relaxatis vel ſpaſmodicè tenſis occurrendum, nervinis, roborantibus, demulcentibus internis & externis, ipſaque urinæ in veſica collectæ eductio quocunque modo, manuali etiam opera promovenda, ita tamen, ut nec ſola, nec fortiora pellentia exhibeantur. *Aq. contr. ard. urin. M. petroſel. malv. Sir. de alth. F. decoct. cicer. liquirit. rad. alth. &c. Emulſ. ex amygd. pin. Sem. alth. violar. &c.* exhibendæ, *Cerefol. frag. ſaxifrag. raph. ruſtic. oc. 69.* & ſimil. aliquando proſunt. Multum aliquando auxilii in Clyſteribus & fomentis poſitum eſt; inſignes etiam adſcribuntur vires *teſtis ovorum calcinatis, cochenilia tinctorum, vino* per extinctos *ſilices* alterato. In STRANGURIA aliisque urinæ difficultatibus, relegatis fortioribus, pellentibus, ſolis ferè demulcentibus, diluentibus, oblinentibus, mucilaginoſis utendum, ex *malv. alth. ſem. fr. amygd. papavereis. hord.* & ſimilibus petitis, cremores, pulveres, mixturas, pilulas, injectiones varia alia ſuppeditantibus. A Decoct. *bis malv.* manifeſtum in ſeptuagenaria levamen vidit *Anton. de Heyde O. 29.* Externè *ſacculi* ex *malv. alth. parietar. chamomill. melilot. violar. verbaſc. croc. ſem. lin. fænugr.* &c. inunct. ex *ol. Scorp. verbaſc.* conveniunt.

XVI.

ANOREXIÆ occurrendum medicamentis ſpiritus deficientes reſtaurantibus, torpentes excitantibus, ſerum copioſum, craſſum imminuentibus, attenuantibus, inter quæ eminent *rad. ari, raph.*

ruſt. ſinap. piperit. RUCTUS ubi oppugnandi, ac FLATUS, viſcida ipſorum minera attenuantibus, incidentibus, aromaticis, oleoſis, removenda, quæ maximam partem ſimul carminativa ſunt, ex quibus eminent *Zedoar. cumin. aniſ. fænic. L. Saſſafr. cort. arant. ext. flavedo, L. aloës, galang. aq. cinam. cydon. compoſ.* Excell. *Dn. Præſ. ſem. coriandr. moſch. ambr. &c.* Ab acidis aliâs non inefficacibus temperandum cenſeo. DIARRHOEAS ubi criticæ videbuntur, ſinere oportet, habitâ tamen virium curâ, quibus labaſcentibus de fluxûs inhibitione cogitandum. Ubi v. Symptomaticæ ſunt, fluor humorum ſiſtendus, lancinantes, turbantes particulæ p. ſi vires conſentiant, educendæ, p. diluendæ, obtundendæ, oblinendæ, corrigendæ, invertendæ, calor corporis tam interioribus quam exterioribus partibus conciliandus eſt, coctio juvanda. *L. Santal. nuciſt. menth. tunic. ventr. gall. maſtich.* conducunt. *ol. nuciſt. expr.* ſcrobiculo cordis & umbilico illinatur. FLUXUS CHYLOSUS incidentibus, detergentibus, reſerantibus tractandus. conſul. *Foreſt.* & *Zod. med. Gall. A. 2. p. 225.* ALVUS PIGRIOR *Clyſmatum* acrium, emollientium, lubricantium, incidentium ex *malv. parietar. lil. alb. alth. c. mell. oleis, ſale,* injectione, *ſuppoſitoriorum* oblongæ & rotundæ formæ, *Cataplaſmatum, fomentorum, linimentorum, unguentorum* ſedulâ adhibitione, *Diæta* lubricantis, humectantis, ex herbaceis maximè, oleoſis, *paſſulis, prunis* ordinatione, ſolicitari poterit. Ridiculam in Sene Curationem deſcribit *Sachs. Eph. G. A. 1. O. 98.*

XVII.

In NEPHRITIDE plus demulcentibus, lubricantibus, vias relaxantibus, humectantibus, anodynis, internis, externis, ex *malv. alth. hord. lact.* & ſimil. per varias vias injectis, quam fortioribus, pellentibus, Diureticis, proficimus. Calculum in ureteribus hærentem impoſitâ cum multa flammâ cucurbitula in veſicam promovere docet *Deckers* in *prax. Barbett.* ad cujus eliminationem è veſica, vomitum, quem in aliis commendat *Barthol. C. 1. Ep. 55.* ego Senibus non facilè ſuaderem, nec niſi coactus, & revelato prius aſtantibus prognoſtico in ſectionem conſentirem; feliciter tamen eam adminiſtratam vidit *Hæchſtett. D. 6. C. 2.* In Calculo commendat *Wedel.* euporiſton ex anatica *Spermatis Ceti* & *oc. 69.* portione. Laudari ſolent *Decoctum veronic. cereviſ. hordeac. cum ſilicibus candentibus percocta, fl. chamomill.* in juſculo exhibiti, externè etiam uſurpati, *ſuccus*

betulæ

betulæ aut parata exinde cereviſia, *aq.* & *decoct. raphan. aq. cort. fabar. ſal. cochl. volat. ſuccin. volat. ſpir. ſal.* ✱*ci* & ſimil. Diſſolutionem calculi *pulvere virg. aur.* & *ſucc. raphani* promoveri tradit *Sachs. in Eph. G.* idemque ſibi promittit *Sylv.* de *Decoct. gram. c. ſpir. nitr.* quem etiam ſolum calculos, propelli neſcios, in juſculo exhibitum ſolvere contendit, de poſſibilitate tamen dubitat *D. Davy in Zod. Med. Gall.* præ Lithontripticis, Diureticis vehementioribus, quæ ad deſperationem ſæpe intendunt dolores, prius laudata eligerem palliantia. Multum mitigando valent *clyſteres* & paratæ ex demulcentibus anodynis in veſicam *injectiones. Inunctiones* v. ſi quæ ſuſcipiuntur, rectius in perinæo peraguntur quàm circa pubem monente *Hertod. l. c. p. 203.* utroque tamen ſimul inſtitutæ modo, eò feliciorem edent effectum.

XVIII.

In ARTHRITIDE ſerum diſtendens, acre, debellandum, genus nervoſum ſolandum, fermentaque in partibus degenerantia reducenda, emendanda, flatulenti halitus ex congreſſu inimico ex fermentatione oriundi, diſcutiendi ſunt; Diaphoretica optimè juvant, inter quæ poſt ½ *diaph. lumb. pp. Cinnab. nat. ſem. aquileg.* ſunt, ut & *rad. chin. ſarſaparill. garyophyllat. L. Saſſafr. ſal volat. cochl.* expertus eſt *Harderus Exam. cochl. p. 46.* quibus non ſine ratione Diuretica addit *Ettmüll.* qui itidem externè dolentibus podagricorum articulis *Sperm. Cet.* ſucceſſu mirabili applicitum vidit. Externè multa aliâs *Epithemata, Cataplaſmata, unguenta, emplaſtra* applicari, commendari ſolent, bina ejusmodi Cataplaſmata deſcribit *Sylv.* plura *Hertod.* ſingulare *unguentum* & *fomentum* proſtat in *Act. Hafn.* Emplaſtrum in *Zod. Med. Gall.* Parci tamen in his & ſimilibus ſint, qui pororum oppletione, obſtructione, ſalutiferæ diſcuſſioni obſtare, inviſcare lympham, malumque repellere nolunt, ob quas ſimilesque rationes etiam emplaſtrum de *Camphora* in Curatione podagræ non admittit *Tinctor. Probl. Anat. D. 3. Coroll. 2.* Quod ſi omninò Topica extorquere velit æger poſt *fomentationes pannis calidis, ſacculos* it. *pulv. commodo prunis injecto fumigatos, ſpiritus aliquis volatilis* ſcopo inſerviens, addito aliquando, dolore nimium urgente, uno vel altero *extract. papav. err.* aut *croci grano* pro illinitione eligatur. *Sobrietas* autem, ſi quod aliud, optimum Arthritidis remedium eſt, pluresque omninò liberari poſſent podagrici, ſi mallent infantem necare, quàm Tyrannum alere, verbis *Hofmanni.* Conf. *Ruland. probl. med. phyſ. p. 25.*

p. 25. Morb. Inſt. p. 105. Borell. C. 4. D. 11. *Vinum* abeſſe jubent multi, verum multis arthriticis Senibus concederem. Non dubitandum, uſum *Lactis* mitiorem ſanguini texturam, craſin, conciliare, iſte tamen nec omnibus, nec uno eodemque modo præſcribendus v. *Eph. G. A. 1. O 141 A. H. V 3. p. 45. Wepf. l. c. p. 69. Zod. Med. Gall. A. 1. p. 106. Bonet. in Merc Compit. Waldſchmid. l. c.* De curatione podagricorum in ſpelunca *Serpentum Braccianorum* in *Italia* v. *Eraſm. Franciſc. & Barthol. C. 2. H. 47.* Famoſa illa per *Moxam. arthemiſia* partem, inuſtio quibusdam (ſed magna ante ſuaſionem adhibenda prudentia) proderit; idem tamen Arthriticos commodum ex lanugine *verbaſci* in loco dolente accenſa manere teſtatur *Cel. Francus Eph. G. D. 2. A. 1. O. 27.*

XIX.

TREMORI nervina, Cephalica, hactenus laudata, ſpir. Animalibus robur afflantia, antiſpaſmodica ſubvenient. *Fimi pavonis c. aq. vit.* diſtemperati uſum in tremore capitis Senili ſuadet *Borell.* ſpecificè etiam *fl. Hyperic.* eorumque *Tincturam* profuiſſe teſtatur *Deckers.* Mirificum etiam præſidium in *ol. Cinnamom.* latere refert *Schenck. D. de Cinnamom.* Ex *Caſtor. lumbric. ſalv. beton. lil. convall. lavend. roſmar. origan.* multa tremori utilia parari poſſunt, quæ ob balſamicas ſuas portiones LASSITVDINI etiam opitulantur, contra quam aliâs etiam inſeſſum parat *Fr. Hofmann. in Clav. Schröd.* & *olei aut aqua calida inunctionem, tabaci imò uſum* commendat *Verulam. S. S. C. 8. §. 730.*

XX.

Pro acrioris in PRVRITV & SCABIE ſeri ſubductione, emendatione, mitigatione, diaphoretica abſorbentia, invertentia faciunt. Externè etiam abſtergentia, eluentia ex *malv. fumar. lupul. naſturt. aquat. furf. cort. frangul. rec.* conveniunt. Singularia quædam deſcribit *Borell. C. 2. O. 7. Proſperi Alpini* arcanum fuit *ſuccus fol. ranunc. tenuifol.* Menſ. Majo expreſſ. & illiti. Infallibile *unguentum* extollit *Timæus Caſ. med. p. 277.* Immanem ſcabiei pruritum *pinguedinem canis* obtundere, teſtatur *Bruno D. de pingued. §. 43.* commodè aliquando *pulv. liquirit. ceruſſ. alb. & myrrh.* inſpergitur.

XXI.

TVMORES pedum OEDEMATOSI diſcutientibus internis & externis tractandi: unguenta, olea, emplaſtra cum poros opplendo diſcuſſionem remorentur, reformido, utut *Empl. Diaphoret. M.* magnæ à quibusdam efficaciæ habeatur. *Balnea* naturalia & Artificialia proſunt: *Fumigationibus* ex *pulv. fumal.* hîc freqq. aut ſimil. multum proficimus. *Fomenta* humida, ſicca, ex *bacc. laur. abſynth. origan. rut. ſem. cumin. lin. fanugr. fl. chamomill.* &c. juvant. *Lintea* duplicata ſuper *arthemiſiâ* fumigata felici ſucceſſu experta eſt vetula ap. *S. Pauli Q. p. 208.* Internè *Lignorum decoctum, Aq. ſerpill.* diaphoretica varia &c. conducunt. Si quæ prorumpunt *ulcuſcula*, ſatius erit naturæ inclinationem juvare, quàm importuna occluſione ejus ductum turbare: *Empl. Diapomphol.* ad talia longa experientia comprobatum eſt.

SOLI DEO GLORIA.